







2129 + 10

9.











Contenta

- 1) Studium Sapientiae
- 2) Praejud. Christianis manna
- 3) Hamartigena ex Rom 5. 12-14.
- 4) Plagiaris mq.
- 5) Malignatio.
- 6) pulchrum in Theol.
- 7) Lectiones cariose.
- 8) Gen. 1. 26.
- 9) Nihilanum.
- 10) Das. crudelitas mitigata.
- 11) Sinceritas S. V. S.
- 12) Joh. 9. 29. p. 1-288.
- 11.) 1. Cor. 2. 2.
- 12) Deq. Triung.
- 13) Haeresis.
- 14) Contritio Salutaris.
- 15) Math 19. 28-30.
- 16) Ep. 18.
- 17) Col. 2. 18.



2  
DISQUISITIO THEOLOGICA  
DE  
PRAEIVDICIIS PRACTICIS  
CHRISTIANISMO NOXIIS

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
DN. IOHANNIS GVILIELMI BAIERI  
SS. THEOL. D. ET P. P.  
PATRONI SVMMO HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDI

DEFENDET  
AVTOR RESPONSVRVS  
IOHANNES MICHAEL Ludwig  
HENFENFELDA - NORICVS

SS. THEOL. STD.  
D. IAN. MDCCXVII.

---

ALTDORFI NORIC.  
RECVSA A IOD. GVIL. KOHLESIO ACAD. TYPOGR.  
A. C. 1729.

DISQUISITIO THEOLOGICA

DE

PRÆVIDICIS PRACTICIS  
CHRISTIANISMO NOXIS

QVAM

SVB PÆVIDIO

DN. IOHANNIS GALILEI MI. BAIERI.

SS. THEOL. D. P. R. F.

PATRONI SVMMO HONORIS CVLTV

PROFESSORIBVS

THEOLOGICIS

AVTOR RESPONSIVVS

IOHANNES MICHAEL SVBIVS

THEOLOGICVS

SS. THEOL. STUD.

D. IAN. M. B. C. P. R. F.

ALIBVS

REGIJS A. IOD. G. V. R. H. E. R. S. T. A. T. I. S. T. R. O. P. H. I. C. I. S.

M. D. C. C. C. C. C.




DE PRÆJUDICIIS

DE PRÆJUDICIIS

CAPVT I.

De natura & indole Præjudiciorum  
prædicorum.



S. I.

I vocem præjudicii spectamus, quæ & *Varia ac-  
alias προέρεσις vel προέρεσις* audit, ge-  
ceptio.

neratim quidem a præjudicando nomen  
trahit, & rem vel sententiam præjudica-  
tam denotat; a diversis tamen eam di-  
versimode accipi constat. Usitata enim  
est hæc vox tam Jctis quam Philosophis

& Theologis. Apud Jctos notat vel iudicium, quod fieri de-  
bet, antequam principale opus suscipiatur, vel sententiam jam in  
priori aliquo casu latam, ad quam in pari casu provocatur.  
Quod posterius confirmat phrasîs a Juris peritis recepta; Hoc  
huic vel illi in præjudicium cedere, (*das Ding sey einem præ-  
judiclich*) ubi præjudicium nihil aliud videtur denotare, quam  
provocationem, quæ aliquando fieri posset, ad eundem casum.  
A Philosophis vero adhibetur vox præjudicii vel in latiori signi-  
ficatu, pro omni iudicio ex præcipitantia proveniente, sine præ-  
via iusta perceptione aut meditatione, vel in strictiori signifi-  
catu, (qui & hic obtinet) quando denotat falsam opinionem  
de re aliqua, ante ejus prævium examen debitum animo con-  
ceptam. Denotant etiam aliquando præjudicia falsos de rebus  
conceptus ab infantia impressos, vel etiam ex sensuum falsa im-  
pressionem ortos, qui significatus vero hic sub nostram conside-  
rationem non cadunt. Solent autem communissime præjudi-  
cia dividi in theoretica, quæ circa res speculativas versantur;  
& in practica, quæ in ipsa praxi vitæ humanæ maxime se exe-  
runt,

runt, in ea multum efficiunt, atque rectam intellectus & voluntatis operationem impediunt. De his, non de illis, nobis nunc sermo est.

## §. II.

*Definitio.* Per *praëiudicium practicum* itaque nihil aliud intelligimus, quam eiusmodi praëconceptam opinionem hominis philavti erroneam, quam ante rei ipsius examen, & priusquam de eius veritate vel falsitate certus sit, sive eam aliunde acceperit, sive ipsa prava suppeditaverit natura, pro fundamento & norma actionum suarum aut omittendarum aut committendarum seu suscipiendarum, iisque, cum jam sint perpetratae, dijudicandis, substernit, atque inde tanquam ex falso principio & irregulari norma falsas deducit ac format conclusiones practicas pravaque de suis aliorumque actionibus iudicia, maximam deformitatem atque ingens impedimentum in praxi Christianismi afferentia & efficientia.

## §. III.

*Subiectum.* Subjectum praëiudiciorum practicum esse hominem philavtum dicimus, quod quidem vel solus finis praëiudiciorum practicum evincere potest. Illa enim ad nihil aliud tendunt, quam ad hominis amorem sui ipsius pravum vel excitandum, vel implendum, vel augendum & continuandum. Quamvis itaque certum sit praëcipue impios atque irrogenitos esse subiectum praëiudiciorum practicum; exinde tamen homines in conversione constitutos, imo etiam conversos & regenitos ipsos, non penitus esse excludendos arbitramur. Interim vero & hoc notandum est, hos diversimode circa ea occupari, atque ex diverso fundamento procedere. Impii enim utuntur praëiudiciis practicis, tanquam armis, ad veritatem divinam rectamque de rebus divinis notitiam, itemque exercitium veræ pietatis profligandum, & proveniunt ex corde impuro & impio. In conversione constituti ea tanquam querelas adhibent, & testantur

ur iis ; quam grave sit opus carnem crucifigere , ac sese concupiscentiis ejus opponere. Caro enim semper concupiscit adversus spiritum *Gal. V, 17.* & quia caro in ejusmodi homine adhuc magnas habet vires , sæpius ipsi suavitatem pristini status peccaminosi & consuetorum vitiorum objicit , per quod etiam fit , ut homo haud semel si non penitus , saltem aliquantisper a vero pietatis exercitio retrahatur : Sedes tamen ejusmodi præjudiciorum practitorum est cor bona intentione præditum & cum dubitationibus adhuc luctans. Regeniti etiam adhuc quædam præjudicia practica possident , sed tantum ut reliquias peccatorum. Quamvis enim caro in regenito dominium suum amiserit , semper tamen concupiscit adversus spiritum , quamdiu homo vivit. Potissimum vero quando conversus ejusmodi utitur præjudiciis practicis , illud vel magnam vim tentationum , vel etiam aliquam infirmitatem hominis interioris prodit ; haud raro & indicat , fervorem Christianismi tantum quidem non esse , quantus tamen esse deberet.

## §. IV.

Quando autem subjectum præjudiciorum practitorum hominem philavtum esse profiteamur , aperte philavtiam pravam *Causa.* tanquam causam eorundem accusamus & agnoscimus , unde tanquam ex mala arbore & venenata radice propullent ; idque tam in impiis , quam in conversione constitutis & regenitis quoque ( et si non æquali gradu & modo ) accidere & evenire solet. Alios vero homines etiam causas præjudiciorum nostrorum practitorum esse & fieri posse & educatione & institutione & conversatione & exemplo , non negamus. Nec inde libros vel carmina ( quo fere maximam partem leves academicæ juventutis aliorumque cantilenæ spectant ) tanquam ejusmodi præjudicia practica foventia , excludimus. Quod si vero has postremo indicatas causas occasiones dicere mavelis , calculum facile adjicio meum , & plane tecum sentio. Ultimo enim

res tamen ad philavtiam pravam redit, quæ suadet & efficit, ut ejusmodi dictoria & excusationes veteris Adami homo non solum recipiat, sed & iis utatur.

## §. V.

*Sedes,*

Dum itaque philavtia prava quam maxime efficit, ut homo ductum horum præjudiciorum practicum sequatur, & voluntatem efficaciter movet, ut bonum respuat, malum amplectatur, & in bonum apparens pro vero feratur, merito voluntatem, uti philavtiæ, sic præjudiciorum practicum, sedem esse agnoscimus. Interim intellectus hinc non plane erit excludendus. Eatenus enim præjudicia practica ad intellectum pertinent, quatenus ut propositiones vel Ideæ falsæ & erronei conceptus intellectu continentur; quatenus vero voluntas nostra ea præjudicia practica approbat, tenet ac defendit, eaque ad praxin vitæ humanæ applicat, & secundum ea intellectum quasi determinat atque cogit, ut hoc vel illo modo & non nisi secundum præjudicia concepta operetur; eatenus utique sedes eorum in voluntate recte quæritur.

## §. VI.

*Modus operandi.*

Operæ vero pretium est, ut paulo accuratius investigemus, quomodo philavtia in præjudicia, præjudicia vero in praxin Christianismi influant; quo & noxæ & impedimenta vitæ Christianæ, quæ alias hisce præjudiciis practicis adscribi solent, eo facilius perspici & cognosci queant. Hoc vero ut rite præstetur, ante omnia ipsa philavtia prava spectanda venit, quæ vox nihil aliud est quam peculiare nomen, quod operationi corruptæ voluntatis assignatur. Cumque voluntas naturaliter unice afficiatur, in hoc quidem statu corrupto, ab eo, quod carni cujusque hominis propriæ bonum videtur, & in bono appetendo semper nitatur principiis carnis (voluntas enim nihil nisi sub ratione boni appetit;) hinc hæc corrupta & irregularis inclinatio voluntatis, quæ nititur principiis carnis, philavtia prava dicitur.

dicitur. Influit autem hoc modo in præjudicia practica hæc philavtia prava, dum homo non solum inde occasionem arripit; ejusmodi præjudicia practica accipiendi, excogitandi & eligendi, quæ ad ipsius gustum sunt aptata; sed & semel recepta tenaciter retinendi ac defendendi; quia philavtia, intellectum & voluntatem recte agere & recte velle, homini persuadet. Præjudicia practica vero in praxin vitæ influunt, & se habent ad eam, ut norma & normatum, ut principium & principiatum, ut causa & effectus. Præjudicia enim ejusmodi practica non solum homini obversantur & occurrunt, quando actio aliqua est omittenda vel suscipienda, sed etiam conspiciunt conscientiam, & scrupulos remonent, quos alicui, sive ipsum sanum de rebus judicium, vel conscientia propria, vel etiam alii homines cum de suscipiendis, tum de jam perpetratis actionibus, moverunt. Sic enim homines præjudiciis practicis impleti tuto concludunt & argumentantur: Hoc & alii fecerunt vel faciunt; ergo & ego recte egi vel ago. Quomodo vero consequentia majoris propositionis procedat, quilibet præjudiciis liberatus facillime judicare poterit. Nihil aliud itaque agunt tales homines, quam ut misere se decipiant & oculis apertis non videant.

## §. VII.

Quinam vero sit finis præjudiciorum practicorum, ex hæcenus dictis jam satis constare potest. Nihil aliud nimirum efficere intendunt, & non alium præfixum scopum habent, quam expletionem libidinis in suo genere, & ut uno verbo dicam, quo philavtiæ prave instinctui satis fiat. Et hunc finem philavtia prava & præjudicia practica per se intendunt; quamvis eum non omnes homines, præjudiciis istis occupati, æque animadvertant.

Finit.

## §. VIII.

## S. VIII.

Nota.

Enimvero supra jam præiudiciis practicis adscripsimus effectum, & nunc denuo indicamus, magnum scilicet inde in praxia Christianismi redundare impedimentum. Quod hinc patet, quia non solum multæ actiones bonæ ab istis impediuntur, sed etiam malæ permultæ inde oriuntur. Hoc vero infra uberius demonstrare conabimur. Nunc illud generatim monuisse sufficiat, sic hominem impediti, quo minus ad agnitionem veritatis pervenire possit, 2. *Tim. III, 7.* & veritatem per illa detineri in injustitia, *Rom. I, 18.* imo quod Apostolus *v. 25.* dicit: sic veritatem divinam mutari in mendacia.

## CAPVT II.

*Divisionem & Catalogum Præiudiciorum practicorum exhibens.*

**T**Am multigena sunt præiudicia practica, quam variæ sunt ipsæ hominum actiones. Quæ adeo pro diverso respectu diversimode possunt dividi. Principalem tamen tenebimus divisionem, qua pro diversitate principii aut finis dividuntur in præiudicia *voluptatis* sive carnis, *ambitionis* & *avaritia*. Quamlibet vero harum classum iterum ad duo revocabimus capita, quatenus nimirum hæc præiudicia occupantur vel circa præcepta Theologiæ *Positivæ* vel *Moralis*. In hac posteriori divisione iterum triplicem habebimus respectum, quatenus nempe ea impingunt vel in officia *erga Deum*, vel *erga nos ipsos*, vel denique *erga alios*. Differunt vero hæc præiudicia practica in ipsis hominibus, pro ratione diversæ inclinationis, prout quis vel voluptates, vel honores, vel divitias pro potiori bono habet, ad quod obtinendum præcipuè ejus actiones diriguntur, & per præiudicia practica suffulciuntur. Nos in illorum recensione ita verfabimur, ut refutationem ubique statim jungamus & oppositam iis veritatem breviter doceamus.

SECTIO I.



## SECTIO I.

## §. I.

Quod attinet ad præjudicia practica i. VOLVPTATIS, quæ pro fundamento ac principio conclusionum carnem habent speciatim sic dictam, & circa Theologiam *Positivam* versantur, ea imprimis tangunt doctrinam de Deo, de beatitudine æterna, damnatione æterna, de peccatis & poenitentia.

## §. II.

Præjudicia practica, quæ *circa Deum* occupantur, huc redeunt, quod homines sibi falsos impurosque de Deo forment conceptus, inclinationi suæ accommodatos, dum v. g. putant:

1. Deum esse benignum & misericordem, qui peccatoribus quantumvis in peccato perseverantibus, facile peccata condonet; neque simul de justitia ejus cogitant & zelo, qui peccatores consumit. Conf. Sir. V, 6. 7. Ps. V, 5. sqq.

2. Neque Deum omnes hominum actiones tam accurate sub examen vocare, aut ad eas attendere (er nehme es id genau nicht.) Cum tamen Deus non solum sit omniscius & scrutator cordium, sed etiam omnium operum, imo quod maximum est, etiam verborum & cogitationum rationem exigat, Ps. XCIV, 7. sqq. Matth. XII, 36. 1. Cor. IV, 5.

3. Deum non facile punire peccatum, (es wiederfahre ein nem ja drum doch nichts Böses) cum tamen multa proflent exempla, quod impiis non solum nihil mali acciderit, sed etiam semper bene sit. Verum partim in contrarium permulta præsto sunt exempla, quæ infelicem impiorum demonstrant exitum; vid. Ps. LXXIII, 17. sqq. partim respondere licet cum Apostolo Rom. II, 4. sqq. longanimitatem divinam tales homines ad poenitentiam ducere. Confer. Sir. V, 4. 5.

B

§. III.

## §. III.

Præjudicia practica circa *beatitudinem aeternam* eo redeunt, quod homines

1. optent & expetant caelum, in quo omnibus voluptatum generibus recreentur & delectentur, e. g. laute cœnent, bibant, commode saltent, otientur &c. Sed vide Rom. XIV, 17.

2. Verum cœli gaudium non magni aestiment, cum quippe in visione Dei, celebratione, adoratione & cultu ipsius &c. illud consistere doceatur. Cujus rei itaque cum verum sensum non habeant, neque satis intelligant, quid visio Dei beatifica importet, multo minus autem videant, quomodo hoc ad expletionem voluptatum, quas sibi optant & expectant, facere possit, & ipsis cultus Dei jam in hac vita tædio fuerit; non est mirum, ipsos gaudio cœlesti non delectari. Ipsi vero suaserim, ut respiciant ad effatum Pauli 1. Cor. II, 11. Conf. Matth. V, 8. & locum de Beat. Æt. Compendii Theol. Pos. Bajerii. §. II, item Proleg. cap. I. §. IV.

3. Facili negotio caelum obtineri posse credant, etiamsi vitam agant non satis probatam. Aliter vero nos informat Christus Matth. VII, 13. 14. 21. Matth. V, 8. & Spiritus S. Eph. V, v. 5. 6. Gal. V, 21. Apoc. XXI, 27.

4. putent, si hic vel iste, qui tamen ipsis multo pejorem vitam agit, sperat aeternam consequi beatitudinem, nec ipsis desperandum esse. Nixi vero maxime incerto & lubrico fundamento misere decipiuntur. Conf. Matth. VII, 13. Luc. VI, 39.

5. Sibi persuadeant, Deum tamen ex gratia, cum mereri non possint, ipsis daturum esse beatitudinem aeternam. Sed quamvis cœlum non mereri, illud tamen etiam non nisi secundum ordinem a Deo constitutum consequi possumus. Conf. Ebr. XI, 6. XII, 14. Matth. VII, 21.

§. IV.

## S. IV.

Præjudicia practica circa damnationem æternam in eo fere consistunt, quod homines

1. aut istam sibi non tam atrocem ac horrendam concipiant, aut ob oculos ponant, quam revera est. Sed perpende in contrarium loca *Matth. XXV, 41. Apoc. XXI, 8. &c.*

2. aut sibi persuadeant, Theologos ac Præcones Verbi Divini saltem studio tam atrocem fingere & depingere, (man mache die Hölle viel heisser / und den Teufel viel schwärzer / als er sey) quo homines eo melius & facilius in timore Dei continere & a peccatis abstrahere possint. Cum tamen illi nihil præter Scripturam S. asserant, & hoc officium illorum postulat, ut dehortentur, ne æternæ damnationis judicium incurrant. Conf. L. de damnatione æterna in B. Baj Comp. Theol. Posit.

3. aut inde, ex inferno scilicet, redemptionem sperent, ut interea eo tutius peccare queant. Sed conf. *Matth. XXV, 41.* ubi ignis æternus dicitur, & quæ alia Theologi nostri adversus æterni, ut vocant, Evangelii commentum urgent.

## S. V.

Præjudicia practica circa peccata, quæ sunt, quando homines putant

1. hæc vel illa peccata esse levia & non magni momenti. Sed nota, quod quodlibet peccatum sit transgressio legis divinæ, & læsio supremæ majestatis, quæ non potest non iram divinam suo merito trahere: Etsi certo respectu peccatorum gradus dari non negamus.

2. facile posse peccata remitti & deprecando deleri. Quamvis vero hoc sibi polliceri possint, qui seriam agunt poenitentiam, aut cum Deo jam reconciliati, ex ignorantia & infirmitate delinquant; nullibi tamen in Scriptura S. legimus, velle

Deum iis peccata remittere, qui in peccatis perseverant, & nul-  
lam per fidem veram vivamque offerunt satisfactionem Christi  
mediatoris.

3. *Homini esse innatum quid, ut peccet.* Sed notandum  
est, quod homo non solum hanc corruptam naturam corrigere  
& emendare debeat, sed & adjuvante divina gratia emendare  
hominemque veterem deponere aut deprimere magis magis-  
que possit.

4. *Impossibile esse, ut quis sibi cavere queat, quo minus pec-  
cet, & tam strictè omnia observet.* Hanc vero prætenfam  
impossibilitatem, non nisi protervam prode malitiam supi-  
namve negligentiam, clarum est. Ceterum conf. 1. *Job. III,*  
*6 sqq. V, 18.* & nota distinctionem inter peccata infirmitatis  
& malitiæ, inter *habe peccatum & facere peccatum*, quam  
Apostolus suppeditat 1. *Job. 1, 8. c. III, 9.* Conf. *Rom. VII, 20.*

5. *Neminem sine criminis vivere.* Sed & omnes ideo cul-  
pabiles & peccatores esse æque certum est, falsum vero, quod  
omnes etiam contra conscientiam peccent. Vid. *Job. XXVII, 6.*  
*Act. XXIII, 1. XXIV, 16.*

6. *etiam sanctos viros peccasse.* Sed scias, & illos fuisse  
homines deceptos, & qua tales, non qua sanctos, peccasse, la-  
psum vero suos non extenuasse, aut excusasse, sed acerbè de-  
plorasse.

7. *Alios multo majora ipsis committere peccata.* Quis vero  
negabit, hos etiam aliis multo majorem habere culpam, majo-  
remque ipsis imminere pœnam. An ideo innocens est homi-  
cida, quod alius est parricida?

8. *Non multum referre, quamvis maxima committant cri-  
mina, si saltem non saepe fiant, aut iterentur.* Verum no-  
tandum, illum, qui per annum semel furtum aut homicidium  
committit, ideo non effugere supplicium.

9. *Quod*

9. Quod si saltem non divulgetur factum, & ad aliorum, imprimis vero pastorum aures perveniat, cetera se nihil curare. (wanns nur der Pfarrer nicht erfährt.) Quasi vero magis timendi sint homines, quam Deus omniscius, peccatorum ultor.

10. Sufficere, modo quis non bestiarum more vivat. Sed observa, tibi non solum, ut homini, secundum rationis ductum, sed etiam ut Christiano, secundum Christi præcepta, non secundum carnem, sed secundum Spiritum, esse vivendum; Gal. VI, 1.

11. ideo expedire hominem varia committere peccata, quo illa eo melius, quippe experientia edoctus, describere & depingere possit: &

12. quando homines peccata committunt, tunc doctos nancisci occasionem, multa utilia in medium hanc ob rem proferendi ac docendi. Sed ad utrumque respondetur, non esse agenda mala, ut inde eveniant bona. Et quod maximum est, quo magis a Deo recedimus, eo difficilius reditus ad gratiam erit, præcipue quando studio in peccatis perseveramus.

13. Se velle saltem hoc vel illud peccatum sibi tanquam peculium (als eine Schoos-Sünde) reservare. Verum qui in uno aberrat, totam reputatur violasse legem. Conf. Jac. II, 10. 11. & toti sancti esse debemus. 1. Theff. V, 23.

14. Temperamento tali se esse praditos, quod tantopere illos ad hoc vel illud peccatum inclinet atque determinet (sie hatten ein recht's Naturell zu dieser oder jener Sünde/ e. g. huren/saußen/ &c.) Verum hic notandum, hominem ipsum lapsum non immunem esse a culpa, quod temperamenti constitutio sit corrupta: Deinde quamvis homo primum impetum prava inclinationis impedire non possit, potest tamen divino nixu auxilio impedire, quo minus in actum erumpat, resistendo puta & supprimendo. Hoc enim certum est, temperamentum

non posse mutari, sed tamen coerceri & emendari. De reliquo confer. *Bücher Saal* Tom. II. pag. 470.

15. *Influxum siderum & planetarum efficere, ut ad hoc vel illud peccatum hic vel iste precipue inclinet.* Sed primo negamus, dari influxum siderum aut planetarum in mores & animum hominis. Deinde, posito etiam quod daretur, esset saltem stimulans, non vero determinans aut cogens, sed cui homo resistere posset.

16. *Diabolum hominem seducere, ut non possit non peccare.* Etsi vero Diabolus seducat homines, non tamen necessitat, sed eos saltem decipit, qui vel sua sponte vel oscitanter se in ejus laqueos immittunt. Conf. I. *Joh. V, 18.*

17. *Deum permisisse, ut in hac vel illa peccata homines laborentur.* (Gott hatte einen so fincken und fallen lassen.) Et recte quidem dicitur, Deum permisisse, quia Deus hominem non tanquam truncum huc vel illuc trahit, imo nec tentat quempiam ad malum, *Jac. 1, 13.* sed dedit homini rationem, dedit gratiam assistentem; si cauti nolit, culpa non penes Deum sed hominem est. Gratia enim Dei est resistibilis & amissibilis. Quid ergo oblique culpam rejicis in Deum?

18. *Cogitationis penam neminem pati.* (Die Gedanken sind Zolle frey.) Sed quamvis hoc valeat inter homines, quibus in aliorum cogitationes introspicere non datur, non tamen erit ratio eadem apud Deum, qui cogitationes hominis novit eminus, & intima cordis penetralia scrutatur, hinc & accuratissime *avouéar* cogitationum perspicit: cumque cogitationes quam maxime inter actiones hominis sint referendæ, non video, quare hæ ab examine secundum legem divinam sint excipiendæ, præsertim cum Deus homines mundos corde requirat.

19. *Verba hominis non venire in considerationem moralitatis, cum quippe verba sint merus ventus & sonus in aërem abiens, in quo & dissipetur.* (Worte sind nur Wind, und ein bloßer

Moser Schall/det in die Luft zerflatteret.) Sed audi, quid Christus dicat *Matth. XII. 36. 37.*

20. *Varia genera voluptatum, e. g. ludos immoderatos, convivium luxuriosa, saltationes impudicas &c. fieri in recreationem animi & sanitatem corporis.* Verum quamvis recreatio sit licita, videndum tamen etiam, num modus recreandi sit licitus, an vero peccata alia simul involvantur, vel ad minimum occasio peccatis præbeatur, quibus, dum sanitati corporis consulere putas, animam reddas ægram, aut omnino perdas.

21. *Natura illum convenienter vivere, qui libidini, cujus æstrum sentit, inserviat.* Naturæ utique corruptæ convenienter vivere talem hominem, certum est, sed num sanæ rationi, ne quid dicam de revelatione, sic quis convenienter vivat, & num hoc Deo gratum sit, alia est quæstio. Cum Deus nos castos, non vero libidinosos aut voluptati deditos esse jubeat.

22. *Interdictum præcepti VI. saltem ad conjuges esse restrictum, non aequè ad cælibes, præcipue juvenes respicere; cum quippe homo extra conjugium vivens, non semper omnia tam strictè possit observare.* (er könne sich nicht allezeit am Himmel halten.) Vid. Corinna Schuppil p. m. 125. seq. Sed scimus, Deum non solum adulteros, sed & scortatores judicaturum, & illum omnibus, tam in conjugio, quam extra conjugium viventibus, ferio injungere castitatem. Conf. *Rom. XIII. 14. Gal. V. 19. sqq. 1. Cor. VI. 9. sqq. 1. Thess. IV. 3. sqq.*

23. *Crapulam non posse obesse, nec magnum esse peccatum.* (Ein Christlich Rauschlein schadet nicht.) Verum vide, quid Spiritus S. dicat, qui sobrios nos esse jubet, *1. Petr. V. 8. Eph. V. 18.* & quomodo hæc concordent, ein Rauschlein /und doch Christlich: Christianos enim hoc non decet. *1. Thess. V. 8.*

24. *Homines se excusant, sie hätten nur einen Hundesuff gehabt.* Verum perpende, quæso, ejusmodi hominem cane, qui

qui est animal brutum aut irrationale, conditione multo esse deteriore: cum canis non nisi pro indigentia bibat.

25. *Studiosum in Academia non ita posse vivere, uti Christianum decet.* (Ein Pursch könne nicht leben/wie ein anderer Christ.) Rectius diceret, Studiosum non velle ita vivere. Quæ enim necessitas cogeret eum ad vitam inordinatam & communionem peccatorum? qui minus quam alii homines turbulentis curis negotiisque distrahitur, qui præceptis virtutum abundat, quem nemo vetat sodales eligere probos piosque, & cujus omne studium ingenuis artibus debet esse dictum. Enimvero cum hæc impossibilitas nulla sit, nulloque præaliis Christianis privilegio Studiosi gaudeant peccandi, certe eadem cum omnibus Christianis tenentur obligatione. Occasio vero peccandi, quæ forsitan major est penes Studiosos quam alios, admonet eos, ut eo fortius pugnent atque certent adversus peccatum.

26. *Provocant ad Pastores & Magistratus, qui multa dicant & postulent ab hominibus, ipsi vero eadem non faciant.* Sedposito, quod hoc ita sit, secundum præcepta sancta, non secundum facta erit vivendum. Nec illorum peccata tua excusare possunt. Conf. *Matth. XXIII, sqq. Rom. I, 17.*

27. *Judicium extremum nondum instare, & multum adhuc intercedere temporis, donec veniat.* Sed, quamvis hora & dies judicii extremi sit incerta, & nesciamus, quando sit moriendum, utrumque tamen certo eveniet, & quilibet statim post mortem subibit judicium particulare. Quo incertior itaque est hora judicii & mortis, eo magis vigilemus, ut paratissimi, quando veniet. Confer. *Matth. XXIV, 42. sqq.*

28. Huc merito quoque peccatum Pontificiorum veniale referri potest. Confer. *Celeb. Schmidius in Breviario Theologiæ Polemicæ Controv. I 5. cum Pontificiis pag. 6 l. seq.*



## S. VI.

Præjudicia practica circa Pœnitentiam eo redeunt, quod homines sibi perfluadeant,

1. ad pœnitentiam sufficere, si ipsos saltem hujus vel illius facti pœniteat, & hoc opus eo facilius esse, cum omnia peccata dolorem & pœnitentiam post se relinquunt: ita enim nos e. g. videre, omne animal post coitum esse triste. Sed notandum est, ad veram pœnitentiam non sufficere qualemcunque retractationem aut displicentiam peccatorum, dum caro nostra ex illis nullam oblectationem, sed tædium percipit, verum insuper cum vera fide in Christum etiam firmum & constans propositum non amplius peccandi, requiri.

2. se tunc pœnitentiam agere, quando tempore consueto coram ministro sacrorum peccata confitentur, & confessionis formulam recitent. Verum, veram pœnitentiam non in mera confessione aut verborum recitatione, sed in vera cordis & mentis mutatione & ad Deum conversione consistere, omnibus iis constat, qui saltem prima rudimenta Christianismi tenent.

3. Homines seipfos posse convertere, ex viribus propriae aut naturalibus, & hinc se quoque suo tempore conversionem suscepturos. Hoc ipso autem produnt, suam imbecillitatem & impotentiam naturalem ipsis nondum satis esse perceptam. Præterea confer. *Phil. II, 13. Eph. II, 1. sqq.*

4. Adhuc tempus esse, hominem semper pœnitentiam agere posse, quando scilicet aut senectutem, aut mortis horam appropinquare videt. (Wenn man einmal auf das Todbett kommt.) Verum, cum mortis hora & ratio sit incerta, nec irregentus introire possit in regnum cœlorum; præterea quoque verendum sit, ut gratiæ, cui semper illucit, in extrema vitæ hora locum sit daturus, secundum illud tritum: *Quomodo in morte recordabitur Dei, qui non reminiscitur sui?* ideo pœnitentia sine periculo damnationis differri nequit. *Sir. XXVIII, 22.*

C

s. Pœni-

5. *Pœnitentiam commode posse differri, certo enim instare aliquod tempus, in quo omnia quæ nunc placent homini, ipsi displiceant, ubi non amplius ea, quæ nunc faciunt, facere possunt.* Sed non expectandum erit illud tempus, ubi nos peccata deserunt, verum peccata nobis sunt deserenda. Hæc vero non est desertio peccatorum, multo minus pugna adversus carnem & peccata, quando ex defectu virium naturalium peccata amplius non possumus. De cetero ea etiam huc quadrant, quæ jam supra de incertitudine mortis diximus. Conf. *Sir. XVII, 22.*

6. *Se jam esse regenitos, adeoque non opus habere, ut deum pœnitentiam agant; cum quippe roties coram sacerdote consteantur, diligenter orent, ne quidem infantem offendant, neque, ut alii, ludere, jurare, scortari, furari soleant &c.* Huc vero haud incommode referri poterit tritum illud, quod dicitur: *Multi ad sapientiam pervenissent, nisi se jam venisse putassent.* Nisi itaque hi homines se pro conversis haberent, eam forte consequerentur. Quod ea vero, quæ probationis loco adducunt, non valeant, partim jam supra ostensum est, partim vero infra uberius demonstrabitur.

7. *Impossibile esse, ut homo ad eum modum, prout vulgo requiritur & postulatur, possit converti.* Id vero exinde patet, quod, cum ipsis voluntas Domini explicatur, respondent: *Ja! es ist wol wahr: allein wer kan darzu gelangen? wer kan so seyn oder werden?* vid. *Wiegleb. von den Hindernissen der Bekehrung* Tract. 1. part. 2. pag. 22. seq. qui totam seriem similium præjudiciorum practitorum exponit Tomo I. part. 2. §. 5. pag. 34. seq. it. §. 28. pag. 166. seq. it. §. 46. pag. 248. ubi simul responsiones invenies. Præterea autem confer. *De Franckii tract. von der Möglichkeit der wahren Bekehrung zu Gott;* & adde, hos homines nihil aliud dicere, quando veram conversionem impossibilem esse asserunt, quam se holle deferere viam injustitiæ, sed ipsis placere adhuc diutius devis suis

his insistere. Quod vero hominibus impossibile videtur, potissimum quando ratione & viribus naturalibus nituntur, illud Deus possibile facere potest, & faciet quoque, si ad opem ejus confugiamus ac Spiritu Sancto nos duci patiamur.

## §. VII.

Quod attinet ad Præjudicia practica *Theologiæ moralis* præceptis adversa, ea impingunt vel in officia erga Deum, vel erga ipsum hominem, vel erga alios.

## §. VIII.

Præjudicia practica circa officia erga Deum, vel tangunt ipsius cultum internum, nempe agnitionem seu fidem generalem, fidem in Christum specialem, obedientiam, patientiam Christianam, gratiarum actionem mentalem; vel cultum ipsius externum, nimirum usum externum Verbi & Sacramentorum, confessionem fidei, glorificationem, juramentum religiosum, jejunium, celebrationem Sabbathi & Festorum aliorum.

## §. IX.

Præjudicia practica circa cultum Dei internum, & speciatim quidem circa ejus agnitionem, eo redeunt, quod homines putent:

1. Homini laico vel plebejo sufficere qualemcumque de Deo & rebus divinis notitiam. (Dann sie seyn schlechte und einfältige Leute.) Verum etsi non tanta & tam accurata in ipsis requiratur in rebus divinis scientia, quanta in Theologo & ministro Ecclesiæ, talis tamen esse debet, quæ sit ad salutem sufficiens. Si enim quis nescit voluntatem divinam, quomodo eam facere potuerit? Conf. 1. Cor. XIV, 20. Eph. IV, 13. 14. Ebr. V, 12. sqq.

2. Non necesse esse, ut quis distinctam & expressam habeat notitiam mysteriorum divinatorum & articularum fidei, ut: Personarum Divinitatis sive SS. Trinitatis &c. Sed confer. Joh. XVII, 3. & evolue Bajeri Theol. Mor. Part. III. cap. VIII. sect. I. §. 1. p. 268. lqq. Præterea nota, quod omne id, quod cum salute nostra necessarium habet nexum, scitu & creditu quoque sit necessarium.

## §. X.

Præjudicia practica circa fidem in Christum specialem dictam, eo redeunt, quod putent:

1. Meritum Christi omnibus prodesse hominibus, etiam qui in maximis vivant peccatis, in iisque perseverent, modo veram esse credant doctrinam de Christo mediatore, ejusque merito se adversus conscientiam suam stimulos solentur: (unde communia ista dictoria: Ich tröste mich meines HERN JE-  
SU. Ich habe JESUM im Herzen.) Hoc vero idem est, ac dicere, Christum pro hominibus mortuum esse, ut eo tutius peccare possint, & Christum facere servum peccatorum. Conf. Gal. II, 17.

2. Christum tamen precipue pro peccatoribus mortuum esse. Sed mortuus est, ut a peccato liberentur & sanctificentur, Eph. V, 25. 26. 27. non vero, ut in peccatis perseverent, aut majorem habeant peccandi libertatem.

3. Quod si saltem sciant aut credant historice, Christum pro omnium peccatis mortuum esse, illud sufficere. Fidem autem veram non solum nosse, sed & apprehendere Christum, in eoque ut felicitatis causa unica acquiescere, spreto omnibus mundi deliciis, omnibus veris Christianis notum est.

## §. XI.

Præjudicia practica circa obedientiam Deo præstandam hæc sunt:

1. Nimis durum esse jugum, iis omnibus se subjicere, quæ  
vulgo

*vulgo ab homine Christiano requiruntur.* Sed confer quæ Christus dicit *Matth. XI, 30.* & Johannes I. *Epist. V, 3.* Durum certe est Christi jugum illis, quibus suavis est servitus peccati, quæ carne sua & viribus propriis nituntur: Regentos autem Spiritus S. gratia adjuvat & suavitas Domini recreat. Denique omnes scimus, daß wer auch in zeitlichen Dingen etwas gutes erlangen wolle/sich es müsse sauer werden lassen.

2. *Impossibile esse, ut homo ea omnia tam stricte possit observare, quæ ipsi observanda precipiuntur.* (Das sey gar zu genau gesucht/man könne es nicht so weit bringen/ und ein solch heilig Leben führen. Es solte zwar so seyn/ aber wir sind arme schwache Menschen/ und können so nicht seyn und leben.) Quis vero hic non videt renitentiam carnis & veteris Adami, qui Deo non vult obedire? De reliquo conf. *Respons. supra datam §. 6. num. 7.*

3. *Neque Deum hoc ab hominibus requirere, cum sciat quanta sint infirmitatis.* Contrarium vero testantur severæ Dei adhortationes ad vitam sanctam & inculpatam, & minæ ob vitam male actam. Conf. *Rom. II, 8. 9.*

4. Non pauci quoque in eo decipiuntur, dum putant: Wann sie nur fleißig zur Kirchen gehen/ etliche Gebet daher lassen/ viel Psalmen und geistliche Lieder mit vollem Halse ohne Verstand und Andacht plerren/ zum Tisch des Herrn gehen ohne Prüfung oder Vorbereitung/den Sabbath mit müßig-gehen und Enthaltung von leiblicher Arbeit seynen/ Almosen geben/ niemand nichts schuldig seyn/ niemand nichts thun was man zu strafen pfliget/ &c. so seyn sie gute Christen und Kinder Gottes. vid. Dyke im Selbst-Betrug c. XI. p. 160. ubi & responsionem invenies. De reliquo conf. *Matth. XXIII, 23. seq. Luc. XVII, 20. 21.*

## §. XII.

Præjudicia practica circa *patientiam in adversitatibus* huc redeunt:

1. *Crucem & calamitates nimis diu durare, ita ut non possint amplius sustinere.* Verum cum nulla calamitas nisi volente Deo nobis obtingat (*Matth. X, 30.*) fortiter quoque a nobis sunt ferenda, quæ nobis obtingunt, cum Deus tandem & his det finem, & nos exinde eripere promiserit. *1. Cor. X, 13.* De reliquo conf. *Prov. III, 11. Rom. XII, 12. Ebr. XII, 4. 5.* & L. de patientia Christiana Theol. Mor. Bajeri P. III. c. VII. sect. VIII. §. III.

2. *Calamitates esse justo majores, & ipsos nihil commisisse hujusmodi panis dignum.* Verum confer *Job. IX, 2. 3. Ps. CXLIII, 3.* & perpende, annon a peccato omnis calamitas & mors ipsa originem traxerit. *Rom. VI, 23.* pro solatio piorum vero *Rom. VIII, 17. 2. Cor. IV, 17.*

3. *Alios homines ipsis multo esse peiores, neque tamen tantis calamitatibus obnoxios.* Sed conf. *Psalmum LXIII, v. 2. ad 20.* qui hoc præjudicium egregie deducit ac diluit.

## §. XIII.

Præjudicia practica circa *gratiarum actionem mentalem* huc redeunt, quod homines existiment,

1. *Quando ditescunt, aut alia quævis bona impetrant, id vel labori vel industria sua esse adscribendum, aut hoc vel illud sua sponte ipsis, fortuna sic favente, evenisse.* Ejusmodi vero homines se ingratitude sua, his beneficiis indignos redere, quilibet facile videt. Præterea conf. *1. Cor. IV, 7. Psalm. CXXVII, 1. 2. Prov. X, 22.* scimus enim, hominem ne herbulam quidem unicam ex terra posse producere, & omnem ipsius laborem esse frustraneam, nisi Deus ipsi benedicat.

2. Bene-

2. Beneficia ipsis a Deo exhibita non magni esse momenti, ideo non opera pretium esse, ut Deo gratias agant. Annon vero hæc maxima ingratitude & nefandus beneficiorum Dei contemptus sit, verberibus magis quam verbis refutandus, quilibet homo sanæ mentis judicet. Quis enim est tam miser, qui non plura a Deo acceperit benefacta, quam cogitando assequi aut enumerare queat? qui non opus habeat cum Jacobo profiteri, se multo inferiorem esse miserationibus divinis sibi exhibitis, Gen. XXXII, 11. Conf. Canticum B. Paul. Gerhardi: Nicht so traurig/ nicht so sehr meine Seele sey betrübt &c.

## §. XIV.

Præjudicia practica circa cultum DEI externum, speciatim circa usum Verbi externi generalia, ea sunt:

1. Ab hominibus simplicioribus, quippe in quibus nec magna possit requiri rerum Theologicarum notitia, non postulari, ut tam diligenter sacram scrutentur Scripturam. Cum vero hoc universale sit requisitum Christianorum, scire voluntatem Domini, hinc & omnes ad ejus scrutinium obligari clarum est. Atqui ea non potest rectius, quam ex verbo Dei hauriri. Deinde ab omnibus requiritur, ut promte queant declarare spem suæ salutis. Conf. 1. Petr. III, 15.

2. Nihil referre, etsi Verbum Dei in jocis & rebus ludicris ad risum aliquem excitandum, adhibeatur. Cum tamen severe Deus minetur, illum non impune laturum, qui nomen ipsius frustra adducit in rebus profanis. Conf. Præcept. II. cum explicatione Exod. XX, 7. it. Bajeri Theol. Mor. P. III. c. VIII. sect. I. §. III. not. f.)

## §. XV.

Præjudicia practica specialia circa Verbum Dei, que in detorquendis Scripturæ S. dictis ad Vitiorum excusationem ac defensionem, se exerunt, collecta vide ac refutata

tata a B. Spenero in libro, cui titulum præfixit: *Sprüche* H. Schrift/welche von Welt-Leuten mehrmal zur Sicherheit/ und wider die so Nothwendig- als Möglichkeit des wahren innerlichen Christenthums mißbraucht zu werden pflegen. Adde M. Romani Tellers Mißbrauch des Göttl. Worte. It. Schamelii Rettung derer Sprüche des Evangelii/welche von denen Menschen verdrehet und mißbraucht werden; & Dyke im Selbst-Betrug c. XVI. p. 276. sqq.

## §. XVI.

Præjudicia practica circa Sacramenta, *Baptismum* & *S. Cœnam* ea sunt:

1. In genere quidam putant, esse ritus ejusmodi Ecclesiasticos, & quidem indifferentes, qui, quoniam sic antiqua consuetudo secum fert, retineri debeant. Hi vero, si id non ex malitia fit aut corruptæ rationis temeritate, aperte ignorantiam & inficitiam suam in Verbo & rebus divinis produunt, cum non solum expressum Dei mandatum habeamus, sed & eorum efficacia clarissime indicetur: quod simplicioribus etiam e Catechismo constare potest ac debet.

2. In specie circa *Baptismum* homines sibi persuadere solent, se esse Christianos baptizatos, ideo jam illis nihil nocere quantumvis peccent, & pessimam agant vitam. Neque perpendunt, quod veluti homo semel ablutus iterum maculari potest, ita & foedus, quod in baptismo pepigerunt, & cujus vigore a peccati reatu & sordibus abluti fuerunt, per peccata voluntaria frangatur, ipsique regeneratione rursus excidant.

3. Circa *S. Cœnam* vero hæc fovent præjudicia, quod si saltem paucis diebus, antequam ad eandem accedant, a peccatis crassioribus abstineant, preces nonnullas recitent sine devotione ac penitentia seria, & alia ejusmodi ad externam præparationem spectantia rite observent, tunc optime se præparatos



*paratos esse.* Verum vel Catechismus noster aliter nos instruit, dum modo recensita equidem laudat, sed & simul incitat, eos demum recte esse præparatos, qui vera fide accedunt. Ita enim non solum examen vitæ nostræ, sed & retractatio peccatorum, seria illorum detestatio, & propositum non amplius peccandi ad genuinam præparationem requiruntur.

4. *Quando acceperunt S. Cœnam, tunc putant se esse absolutos a pristinis peccatis, & de novo posse peccare.* (Das Kerbholz sey nun abgeschnitten! jetzt gehe es wieder auf ein neues.) Verum nonne hoc est Christum pro seruo peccati habere, Christi merito pro pallio peccatorum uti, sanguinem Christi pedibus calcare, & verum S. Cœnæ usum ignorare?

## §. XVII.

Præjudicia practica circa *Confessionem fidei externam*, ea sunt:

1. *Nihil ob stare, quo minus, ad periculum aliquod vitandum aut bonum aliquod acquirendum, dissimulari aut plane negari possit fides, aut cui religioni quis sit addictus.* Sed conf. 1. Petr. III, 15. Matth. X, 32. 33. Hoc enim est homines magis timere quam Deum, & ob bonum terrenum bona cœlestia vilipendere.

2. *Quamvis quis ore se huic vel illi religioni addictum esse profiteatur, in corde tamen plane alia illum posse sentire & cogitare.* Conf. vero Matth. X, 33. Rom X, 9. 10. Apoc. II, 10.

3. *Sic putant, ceremonias tamen alius religionis quem posse externe observare & in corde illas irridere.* Annon vero talem hominem pudeat sui Domini, & sic cultum Dei alienum ipso facto approbet, quilibet facile judicare poterit. Conf. Apoc. III, 15. seqq.

D

§. XVIII.

## §. XVIII.

Præjudicia practica circa glorificationem Dei exter-  
nam huc redeunt :

1. *Hominem non posse sibi cavere, quin subinde nomen di-  
vinum inutiliter in ore gerat, cum quippe id per longam  
consuetudinem in habitum degeneraverit.* Verum cum ipse  
met profitearis, per crebriores actus te habitum hunc contraxis-  
se, quid obstat, quo minus & per actus contrarios hæc mala  
consuetudo iterum aboleri possit, quod si saltem serio in id sis  
intentus?

2. *Ne illusionem aliorum quis sibi contrahat, posse utique  
religionem ac devotionem precum suarum dissimulare.* In his  
vero rebus si quis honorem Dei postponit existimationi suæ in-  
ter homines vanos & impios, haud dubie perdet honorem pe-  
nes Deum, qui honorantes ipsum honorat, spernentes spernit,  
I. Sam. II, 30.

## §. XIX.

Præjudicia practica circa juramentum huc redeunt :

1. *Hominem quando coram iudice jurat, in mente adhuc  
quosdam posse habere reservationes, & aliud quid intendere  
in quod juret.* Cum vero magistratus Dei vicem gerat, & ex  
officio in veritatem inquirat, juramentumque valeat secundum  
intentionem deferentis, talem hominem ordini divino non solum  
repugnare, sed & hominibus æque ac Deo mentiri, clarum est.

2. *Esse hoc, quod variis execrationibus utantur ac temere  
jurent in communi vita, meram consuetudinem, quam muta-  
re non possunt.* Quasi vero non ipsa hæc consuetudo & habi-  
tus vitiosus maximam habeat culpam. Adhæc qui naturam  
consuetudinis cognoverunt, intelligent, consuetudinis desertio-  
nem equidem difficilem, non vero impossibilem esse, Idque

eo magis necessarium est, quo sæpius a Christo & Spiritu S. maledictiones in S. Scriptura interdiciuntur.

3. So ein Haus-Fluch mache nicht viel aus / und könne auch nicht schaden. Nullam vero transgressionem legis innoxiam esse novimus. Et si scire cupis, quid Scripturæ stylo maledictio domestica (der Haus-Fluch) importet, evolve *Deut. XXVIII, 16. ad 19.*

§. XX.

Præjudicia practica circa *jejunium* in eo consistunt, quod homines existiment:

1. *Jejunium omne esse adiaphorum aliquid, & institutum humanum, ideo optimo jure intermitteri posse.* Etsi vero illud statis temporibus, & graves quidem ob causas ab hominibus præcipiatur, ideo tamen non generatim omni fundamento Scripturæ S. destituitur, sed potius commendatur & nobis injungitur. *Conf. Joel. II, 12. Matth. VI, 17. sq. XVII, 21. Act. XIV. 23. I. Cor. VII, 5.*

2. *Jejunium esse durum quid, & nocere homini, quod Deus ab hominibus non exigat.* Sed quamvis homini durum hoc videatur, insignes tamen habet usus, dum illi non solum amaritudinem peccati in mentem revocat, sed & illum simul aptiorem reddit ad cultum Deo debitum devote exhibendum. Id vero homini nocere oppido falsum est, quin potius sanitatem ipsius conservat & promovet. Loquor autem de homine sano, qui integris est viribus.

§. XXI.

Præjudicia practica circa *celebrationem Sabbati & ceterorum festorum*, ea sunt, dum putant homines,

1. *Celebrationem Sabbati saltem ad legem ceremonialem spectare, & cum legibus istis V. T. ceremonialibus in N. T. esse abrogatam.* Sed quamvis lubenter concedam tò ceremoniale

niale Sabbati esse abrogatum, præceptum tamen Decalogi tertium totum esse abrogatum nemo mihi persuaserit. Certe Ecclesiam N. T. jam Apostolorum tempore diem dominicam loco Sabbati Judaici publico Dei cultui dedisse tuto colligitur ex *Act. XX, 7. Apoc. I. 10.*

2. *Celebrationem Sabbati in eo consistere, quod diem illum otitando, garriendo, potando & hujusmodi rebus transigant, & tantum non laborent.* Sanctificationem vero, quæ a nobis postulatur, plane aliud requirere per se clarum est.

3. *Sed peracto tamen cultu publico, licitum esse, reliquum diei spatium potando, ludendo, ambulando &c. transigere, eoque multo minus peccari, quam si aliquid operis consueti suscipiant.* Sed vel Catechismus noster nos docet totum diem esse sanctificandum, seu sacris rebus tribuendum; tametsi requies corporis & honesta animi relaxatio devotionem ejus non turbans, post sacra publice privatimque peracta non omnino damnetur.

4. *Die Domini aliquem aque devote cultum divinum domi, ac in templo instituere posse.* Verum cum non solum, quando comparemus, meliorem devotionis nostræ excitationem, sed & oralem institutionem, quæ semper vivaciôr esse solet, nobis promittere queamus; cumque hoc ipso, quod in Ecclesia comparemus, nostram cum Ecclesia unionem testari, neque studio nos ab Ecclesia segregare, & cultum publicum contemnere debeamus, utique cultus domesticus publico, præsertim die dominica, non est præferendus. Conf. *Ebr. X, 21. 25.*

5. *Non opus esse, ut ii templum adeant & concionem audiant, quibus jam constat quid agendum quidve omittendum sit.* Verum etsi quis omnia sciret, potest tamen aliorum non solum exemplo excitari ad pietatem, sed & res in praxi Christianismi necessariæ ipsi in mentem revocari, quibus ad bona iterum acrius persequenda stimulat. Deinde experientia do-

cet;

cet in concionibus subinde aliquid proferri, quod alicui antea vel plane non, vel saltem obscurius cognitum fuit.

6. *Exercitia catechetica saltem ad juventutem pertinere.* Sed præterquam quod plurimi adhuc sunt infantes scientia, rerum ad Christianismum spectantium Catechesin omnibus maxime utilem esse scimus, quippe quæ per quæstiones & responsiones rem omnem dilucidat & explicat.

7. *Cum per totam septimanam sub labore multo sudaverint, ipsi die dominica licere recreatione aliqua corporis frui.* Verum etsi quies corporis etiam lubenter concedatur, illa tamen ita sit comparata necesse est, ut requies animæ in Deo non turbetur.

§. XXII.

Præjudicia practica circa officia erga *Hominem ipsum* versantur circa officia erga *Animam, Corpus, & fortuna bonâ.*

§. XXIII.

Quod attinet ad Præjudicia practica circa officia erga *animam propriam*, ea huc redeunt:

1. *Hominem simplicem non opus habere, nec ab eo posci, ut animæ suæ facultates naturales excolat & magnam sibi acquirat notitiam.* Verum, cum hoc certum sit, haud frustra Deum homini eas facultates naturales dedisse, sed ut iis utatur, nec homo sibi soli natus sit, sed ut aliis quoque utiliter inserviat, manifestum est, Deum non solum in hominibus etiam simplicioribus (ut se ipsos vocant) seu plebejis, animæ culturam requirere, sed eam etiam maxime necessariam esse. Ut taceam utilitatem, quæ exinde, tum in ipsos, qui intellectus & voluntatis ceterasque facultates naturales excolunt, tum in alios etiam, redundat.

2. *Quod si quis multa sciat, multa etiam ab illo repositi qua praestet, & de quibus illi ratio sit reddenda.* (Was einer nicht weiß/mache einem nicht heiß: wer viel wisse/habe viel zu verantworten:) *Atque sic se hominem facillime posse excusare, se nescivisse, quid agendum quidve omittendum sit, facilius quoque posse genio suo indulgere.* Sed si distinxeris inter ignorantiam vincibilem & invincibilem, omnia modo dicta lubrico & incerto niti fundamento videbis. Aliud enim est, illud nescire, quod nec scire possum nec teneor, aliud vero illud nescire & nescire velle, quod omnino scire debeo. Conf. *Luc. XII, 48. 2. Petr. III, 5.*

3. *Nonnulli putant, se jam multa scire, nec opus habere, ut majorem sibi acquirant notitiam; quia nimirum segnitias & pigritia illorum hoc non permittit.* Verum non sufficit cuique qualiscunque notitia & scientia, sed illa pro cuiusvis capacitate est aestimanda. Et nunquam homo eo usque perveniet sua scientia, ut ea non amplius possit augeri & crescere. Conf. *Luc. XII, 48. Matth. XXV, 15. sqq. 1. Cor. IV, 8.*

4. *Alios homines ae quidem id, quod ipsi sciant, sed multo minus scire, & tamen velle salvari.* Ab aliorum autem ignorantia, ad tuæ ignorantiae excusationem non valet consequentia: potius enim illud inde sequitur, & alios homines eadem tecum ignorantia gaudentes, vel aequae, vel unum magis quam alterum esse culpabilem. Deinde non ii, qui volunt, sed qui faciunt voluntatem Patris, introibunt in regnum caelorum. Tandem & illud observandum, quod non omnes iisdem gaudentes facultatibus animæ, quibus adeoque minor gradus scientiae pro viribus ipsorum sufficit.

#### §. XXIV.

Præjudicia practica circa officia erga corpus proprium ea sunt:

I. Sui

1. *Sui ipsius amorem non frustra omnibus hominibus esse in-  
natum, atque hinc hominem suo corpori & genio indulgentem  
facile esse excusatum.* Verum distinguendum est inter amo-  
rem sui ipsius ordinatum, qui non repugnat præcepto divino,  
& inordinatum, qui Deo non probatur, adeoque nec excusat  
hominem huic amori sui ipsius inordinato deditum. Quid  
quod homo cupiditati suæ nimium indulgens non recte amat  
corpus suum, sed perdit

2. *Die bona quemlibet oportere esse animo bono, Eccl. VII,  
15. & cum hilaribus sese præbere hilarem.* (Dann lustig  
seyn in Ehren könne niemand wehren.) In hoc utique neminem  
audies obloquentem, si sis animo bono atque hilari in timore  
Domini, ita ut DEI tui non obliviscaris, nec facias contra  
ipsius præceptum, & quando, ut ipse determinas, lætus sis in  
honore, honore scilicet DEI, tui ipsius & aliorum non violato.  
Conf. *Sir. IX, 23.*

3. *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Digna  
bove altili hæc vox est, non homine Christiano; sive huc ten-  
dat sensus ejus, quod per mortem anima ipsa cum corpore in-  
tereat, nec post eam ulla sit speranda beatitudo, sive quod post  
mortem non ultra locum habeant terrenæ voluptates. Istam  
sententiam ipsi sapienter Ethnici detestantur: hæc licet verissi-  
ma sit, perperam tamen ex ea infertur, vitam hanc otio & lu-  
xuria transigendam esse; quippe quæ brevis voluptas æternæ  
felicitatis jacturam parit. Conf. *Sap. II. & III.*

4. *Jeh esse was ich mag und mir schmeckt / und leide  
was ich kan.* Quomodo vero hoc cum vero tui ipsius amo-  
re & conservatione debita consistere possit, quilibet facile ex  
ipsis sanæ rationis & Juris naturæ principii dijudicare poterit.

5. *Corpore esse utendam in juventute.* (Und die Jugend  
müsse vertoben / und lasse sich nicht in Sacl stecken.) Sed  
Conf. *Eccl. XI, 9. XII, 1.*

6. *Illos qui ne minimam quidem corporis curam habent, esse culpabiles. Recte: sed medium tenere beati. Conf. Rom. XIII, 13. 14.*

## §. XXV.

Præiudicia practica circa bona fortuna ea sunt:

1. *Quemlibet cum rebus suis posse agere quod libeat.*
2. *Bona fortuna esse bona lubrica huius mundi, & vel nobis viventibus per varios casus eripi, vel morientibus hic manere: Ergo non magni esse aestimanda, & rectius a nobis ipsis dilapidari.*
3. *Bona hereditaria nullo suo negotio esse parta; ergo quomodo parta, etiam dilabi.*
4. *Quod si quis edendo & bibendo &c. bona sua consumat, scire illum, ubi sint.*
5. *Alles verthan vor seinem End/ macht ein richtig Testament. Verum cum omne bonum fortunæ saltem a Deo in usus nostros sit concessum, ad vitam honeste degendam & conservandam, nos utique non nisi bonorum horum sumus dispensatores a Deo constituti, quibus aliquando ratio de illorum administratione erit reddenda, num illis recte vel male usi simus. Et quamvis iisdem uti possimus, dum vivimus, de honesta tamen sustentatione etiam nostrorum, qui iusti sunt hæredes, erit cogitandum: nam & horum causa Deus nobis concedit quæ possidemus.*

## §. XXVI.

Præiudicia practica circa officia erga *Alios* vel sunt occupata circa officia erga proximum in genere, vel Ministros Ecclesiæ, auditores, subditos, Magistratum, Coniugem, liberos, Parentes, servos & ancillas, Dominos & Dominas.

## §. XXVII.



§. XXVII. Quod attinet ad Præjudicia practica circa officia erga Proximum communia, ea versantur vel circa illius Animam, vel famam & fortuna bona.

## §. XXVIII.

Præjudicia practica circa Animam proximi huc redeunt:

1. Si alius quidam ad perniciem suam tendit, vel peccat, id nos ad nos spectare putamus, sed dicere solemus, habeat sibi. Cum vero proximum nostrum debeamus amare, ut nos ipsos, non video, quomodo hæc simul stare possint. Conf. etiam *Levit. XIX, 17. Gal. VI, 1. Job. V, 16.*

2. Hominem non esse alterius custodem. Sed videant hi homines, ne eadem cum Caino vocem audiant *Gen. IV, 9. 10.* Qui enim negligit fratrem suum, quem servare poterat ac debebat, recte illum censetur perdidisse.

3. Putant, curam salutis animæ proximi solis Ecclesiæ Ministris competere. Sed conf. *1. Thess. V, 11. 14. Apoc. 1. 6.* Et videatur B. Bajeri distinctio inter officia, quæ Ministris Ecclesiæ competunt, quatenus sunt Ministri Ecclesiæ, & quæ ipsi cum fidelibus sunt communia, in *Theol. Mor. p. 483.*

4. Illum, qui proximum suum reprehendit, sibi alterius inimicitiam conciliare. Verum hoc non semper est verendum, sed qui sapiens est, & per hujusmodi correctionem fraternam ad saniolem mentem redit, grato id agnoscit animo; Imprudentem vero quando adhortatus es, & iste consilium datum respuit, tu certe animam tuam salvasti. *Ezech. III, 10. Conf. Matth. XVIII, 15. sqq.*

5. Homines improbos pro ludibrio eos habere, qui alios fraterne corrigere conantur. Sed si tempore opportuno prudenter & amanter id facies, istud non est verendum. Quod si

E

vero

vero tamen tibi quid adversi eveniat, ne ideo contristeris. Conf. *Matth. X, 24. V, 11.*

6. *Non illum, qui malum dat consilium, sed qui illud exequitur, esse stultum.* (Der sey kein Narr/der einem eine Thorheit zumuthet / sondern der es thut.) Verum & istum causam moralem esse omnis mali eventus, qui malum dat consilium, certissimum est.

§. XXIX.

Præjudicia practica circa bona fama ac fortune proximi huc redeunt:

1. *Haud multum referre, si quid alicui affingant.* (wann sie einem ein Blechlein anhängen können.) Verum intentio aliis nocendi aut mentiendi aperte prodit, quid referat alicui aliquid affingere. Conf. *Ps. LII, 4. 7.*

2. *Wie manes höret/so gebe man es wieder aus/was man von diesem oder jenem höret.* Verum id satis refutatur per notum istud proverbium: *Vom hören sagen länget man gern.* Quod si ergo non vis haberi mendax & calumniator, non statim eloquere quæ audivisti, priusquam de veritate satis constiterit; & tunc quoque potius tege nævos proximi, quam exaggera.

3. *Si astutus persuasionibus adhibitis homini aliquid subduci queat, illud non esse peccatum.* (wann man dem Nechsten etwas abschwärzte.) Verum omne damnum proximo illatum peccatum est & culpabile.

4. *Quod si aliqua res non magni pretii sit, nihil referre, etsi homini subdole subducatur.* (quod vulgo vocant fangen/schieffen / mitgehen heissen.) Sed omne, quod infcio & invito Domino subtrahitur, est species furti, furtum autem quodvis præcepto VII. adversatur.

§. XXX.

## §. XXX.

Præjudicia practica *Ministorum Ecclesia circa officium suum.*

1. *Quod si saltem concionem ad populum habeant, & Sacramenta stato tempore administrent, jam officio ipsorum satisfactum esse.* Verum non solum generalem curam animarum, sed & specialem ipsis mandatam esse, Scriptura S. clarissime indicat. Genuinus enim pastor novit suas oves, & vigilat, ne ipsis aliquid desit. Admonitiones itaque & visitationes privatas genuinus pastor non negligit, nec ad illud tempus tantum revertat, quando ægrotant homines aut morti proximi sunt.

2. *Quamvis quis impiam agat vitam, illum tamen satis posse ædificare gregem sibi commissam.* Verum cum experientia testetur, populum plus ad vitam & exemplum pastorum solere respicere, quam ad doctrinam, quilibet videt, talem hominem non tantum fore ædificaturum, quantum ædificat pius.

3. *Et si quis habeat concionem minus accurate elaboratam, illam facile satisfacere rusticis.* (*Sey gut genug vor die Bauern.*) Sed cum rustici æque ac il, qui civitates inhabitant, verbo salutis sint instruendi, & rustici minus sint ex culti quam cives, sequitur potius, hos homines simpliciores eo majori studio & diligentia esse instruendos, & tanto majori claritate ipsis verbum Domini proponendum, quo possint percipere & intelligere.

## §. XXXI.

Præjudicia practica *circa officia Auditorum erga Ministros Ecclesia* huc redeunt:

1. *Non semper tam accurate secundum istorum verba & monita esse vivendum.* Sed conf. *Luc. X, 16. Matth. X, 14.*

2. *Ministros Ecclesia saltem ex officii ratione esse obligatos, ut pradicent Verbum Dei, pii sint, & hominibus infernum atrociter depingant, quo eos aliquatenus in obedientia retineant, & ideo etiam eos accipere stipendia, ut hoc faciant.* Sed conf. 1. *Theff. II, 13.* & sub examen voca Ministrorum Ecclesiae conciones & explicationes secundum Scripturam S., tunc videbis, num concordent, nec ne. Fundamentum vero quare ipsis stipendia exhibeantur, vid. 1. *Cor. IX, 13, 14.*

3. *Multa equidem Ministros Ecclesia ab auditoribus suis requirere, ipsosmet vero id non facere.* Sed tunc valet dictum Christi *Matth. XXIII, 3.*

§. XXXII.

Præjudicia practica circa officium Magistratus versantia ea sunt :

1. *Ipsis, putent, quippe in tanta potestate constitutis, omnia licere qua libent.* Verum etsi omnibus legibus humanis essent soluti, non tamen soluti sunt legibus divinis.

2. *Quod si saltem subditi suum tributum & alia, qua debent, solvant, de reliquo non curandum esse magistratui, quomodo vivant.* Sed conf. *Rom. XIII, 4.*

§. XXXIII.

Præjudicia practica circa officia subditorum erga Magistratum ea sunt :

1. *Magistratum, etsi hoc vel illud prohibeat, ipsum tamen mandatum suum transgredi.* Verum distinguendum est inter illorum officium & personam; & illud applicandum, quod de ministris Ecclesiae valet. *Matth. XXIII, 3.*

2. *Putant, quicquid a Magistratu non prohibetur & punitur, licitum & concessum esse.* Verum nos non solum humanas, sed & divinas habere leges clarum est. Et cum Magistratus ea præcipue, quæ statum civilem concernunt, consideret,

non omnis actio ex illorum concessione & permissione, quæ rationibus nititur politicis, etiam in foro Theologico est approbanda.

## §. XXXIV.

Præjudicia practica circa officia conjugum sunt:

1. Quando putant, quod si quis aliquam sibi sponsam elegerit aliquando ducendam, eum posse varia interim libidinis & voluptatum exercitia cum ea habere. Verum hoc aperte non solum cum generalibus Christianismi præceptis, sed & speciatim cum castitate juvenibus injuncta pugnat.

2. Nihil referre, si quis cum sponsa aliquot dies ante vel post copulationem concumbat. (Nacht Tag zuvor oder hernach sey eben eins.) Illud vero tamen esse peccatum & contra *ἐπιμορφίαν* Christianis injunctam, ex eo patet, quod matrimonium ex hodierno usu nondum omnino validum & firmum est, antequam copulatio sacerdotalis accesserit. Intentionem quoque ejusmodi hominis solam esse expletionem libidinis, ex eo patet, quod nolit tantillum temporis expectare, ut cum honore & benedictione sanctum conjugii statum ingrediatur.

3. Possit aliquem sibi sponsam saltem animi causa ad aliquod tempus eligere, & deinde istam iterum pro lubitu ob casam vel sponte fictam relinquere. Sed uti contractus matrimonii formale est pactum cum altera persona initum, ita nec tam facile, nisi ob causas, quæ alias pactum tollunt, & satis graves sunt, frangi potest.

4. Quod si saltem utraque pars in adulterium committendum consentiat, illud non esse peccatum: consensum enim favore matrimonium. Sed uti non omnis consensus facit matrimonium, maxime de re licita, ita nec statim ex consensu actio sit bona. De reliquo conf. Ebr. XIII, 4.

5. *Quando conjugium contrahentes sunt atate impares, tunc alteri persona, que junior est, licere alibi libidinis suae quarere expletionem.* Sed cum contrahens duos habeat oculos & sanam mentem, quare consensit in ejusmodi conjugium? Jure igitur ipsi tanquam poena hoc onus est ferendum. Deinde vero omne adulterium, nullo casu excepto, est prohibitum.

## §. XXXV.

Præjudicia practica circa officia Parentum erga liberos huc redeunt:

1. *Man müsse denen jungen Leuten eine Freude lassen/ denn die Jugend müsse vertoben.* Sed vide, ne tua continentia animam filii tui perdas. Etsi enim ideo juvenus non omni læticia & gaudio sit privanda, est tamen simul etiam in timore Domini educanda. Omnes enim licentia finis deteriores. Conf. *Eph. VI, 4. Sir. XXX. 7—13. XXVI, 13. 14. 15. XLII, 11.*

2. *Parentes non omnes liberorum suorum vias posse cognoscere & de iis rationem reddere, ideoque esse excusatos.* Verum id potius conjicio, te id nolle scire, & vel curam liberorum posthabere quieti tuæ aut negotiis rei familiaris, vel studio dissimulare prolis tuæ vitia, vel ejus offensionem timere. Alias enim tenentur liberi non solum indicare parentibus vias suas, sed & otii ac negotii sui reddere rationem. Deinde etiam aliorum hominum indicio, qua ratione extra conspectum parentum se gerant liberi, cognoscere licet.

3. *A puellis non requiri ut multum sciant.* (Die Mägdelein dürfen nicht viel wissen.) Sed quem fugit, quam multa in puellis requirantur, ut rem familiarem recte administrare, liberisque & famulatio rite olim præesse possint. Et cum æque ac filii salutem æternam consequi velint, necessario etiam præceptorum divinatorum gnari esse debent. Conf. *Eph. VI, 4.*

## §. XXXVI.

## §. XXXVI.

Præjudicia practica circa officia liberorum erga parentes ea sunt:

1. *Quod si saltem parentes hoc vel illud factum ignorent, bene actum esse existimant.* Verum hic ipse timor prodit, ipsos male egisse. Deinde vero etsi hoc vel illud parentes fugiat, Deus tamen omnia novit.

2. *Parentibus non omnia esse indicanda.* (Man muß sie Ihnen nicht alles weiß machen.) Num vero hoc cum fide & obedientia, quam parentibus debent, quæque in IV. præcepto fundatur, consistere possit, ipsi judicent. Conf. *Eph. VI, 1, 2.* *Syr. 111, 3--18.*

3. *Die Eltern hätten es auch nicht anders gemacht/da sie noch jung waren/wären auch wohl ärger gewesen.* Verum uti nec ullius hominis, ita nec parentum male acta & prava exempla sunt imitanda, & meas actiones excusare possunt.

4. *Quoniam parentes jam sint ætate proveci, hinc illos radium rerum omnium cepisse, ut juvenibus sua gaudia invidiant; ideo illorum verbis non semper morem esse gerendum in talibus rebus.* Sed plerumque serâ illorum animadversio in malas liberorum actiones & earundem displicentia male pro invidia & morositate a liberis voluptati deditis habetur.

5. *Quando eam, quam parentes, attigerint ætatem, tunc & ipsos hac talia omisso.* Verum unde scis te eam consecuturum ætatem? nonne æque juvenes ac ætate proveci morti sunt obnoxii? Deinde quoque penitentiam non demum in senectute, sed in juventute & tunc, quando vocem Domini audimus, agere debemus. Wir sollen Gott nicht die Hefen unsers Alters/ sondern die Blüthe unserer Jugend aufopfern.

## §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Præjudicia practica circa officia Dominorum & Dominarum erga servos & ancillas, fere coincidunt cum Præjudiciis §. 32. allatis & discussis. Conf. Eph. VI, 9.

## §. XXXVIII.

Præjudicia practica circa officia Servorum & Ancillarum erga Dominos & Dominas, eadem fere erunt cum Præjudiciis §. 33. Conf. Eph. VI, 6, 7, 8.

## SECTIO II.

## §. I.

**V**T præjudicia AMBITIONIS, quæ ex honoris ac dominiæ cupiditate nascuntur, pariter delineemus, eundem, quem antea ordinem, observabimus, & primo quidem Præjudicia Theologiam positivam, deinde Moralem concernentia spectabimus.

## §. II.

Quod attinet ad Præjudicia practica circa præcepta Theol. Positiva, ea versantur maxime circa doctrinam de S. Scriptura, de Deo, & de Peccato.

## §. III.

Præjudicia practica circa Scripturam S. huc redeunt:

1. Omnia secundum sanam rationem esse interpretanda in Scriptura S. Verum si sana est ratio, in rebus Theologicis, imprimis in mysteriis fidei, suspendet suum judicium, cum quidem nihil sanæ rationi contrarium deprehendat, ipsas vero res concipere nequeat. Hinc etiam non omnem usum sanæ rationis in interpretatione Scripturæ S. rejicimus, sed saltem competendam esse rationem dicimus, ne contra cognitionem Dei ejusque mysteriorum superbe se extollat. Conf. 2. Cor. X, 5.

2. Quoad



2. Quoad agenda, non putandum esse Deum aliquid ultra sane rationis dictamen præcepisse ut præstent homines. Verum et si sana ratio, si quidem sana est, hominem in multis informet quæ ad vitam pie & honeste degendam faciunt, in multis tamen nos deserit aut non plene instruit, quia nimirum in homine *luxuriam* cæca est in rebus spiritualibus. Conf. 1. Cor. 11, 14. Eph. 11, 3. V, 8. Col. 1, 21.

## §. IV.

Præjudicia practica circa Deum ea sunt:

1. Quod sibi Deum, tanquam in ipsos æquum & bonum aut potius generose negligentem, concipiant, qui gustui eorum se accommodet. Hos homines non verum justitiæ divinæ conceptum habere, ex eo patet, quod patent Deum uti hominem aliquid de jure suo remittere posse, & non omnes illorum actiones tam strictè observaturum esse. Sed cum justitia Dei sit attributum ejus essentielle, quilibet videt, Deum talem necessario esse qualis est; & si non talis effet Deus.

2. Sed tamen Deum non impossibilia posse exposcere ab hominibus. (Er lasse noch mit sich handeln.) Verum si homini quid impossibile est pro hoc statu & ex propriis viribus, illud tamen possibile erat pro primævo statu, quem homo sua culpa amisit, & possibile fit per vires spirituales per fidem nobis concedendas. De reliquo autem Deus justus nihil quicquam sine satisfactione de jure suo cedere potest.

## §. V.

Præjudicia practica circa Peccata huc redeunt:

1. Ipsos in hac vel illa re non quidem voluptatem aut delectationem querere: Interim honoris causa se non posse subtrahere.

Sie könnten nicht anders / müsten per raison mit machen; man edunne sich gleichwohl nicht schimpffen lassen / es lige einem

nem Ehr und Reputation daran.) Quis vero non videt hic gloriam & honorem Dei cedere oportere honori hominis proprio; cum tamen omnes nostras actiones ad gloriam Dei referre debeamus. Conf. 1. Cor. X, 31. Et quis denique hominum coget me, ut ipsius stultitiæ ac delicti particeps fiam?

2. Ita ferre rationem status Studioforum: Es sey so Bursch: Manier und Raïson.) Verum cum hæc ratio nec in sana ratione, nec in voluntate Dei sit fundata, videant, num homines Deo leges præscribere possint, secundum quas ipsorum actiones iudicet.

## §. VI.

Præiudicia practica circa præcepta Theol. Moralis, occupantur circa officia erga Deum, Proximum, Nos ipsos.

## §. VII.

Quod attinet ad Præiudicia practica circa officia erga Deum, ea versantur vel circa Cultum internum, sc. Agnitionem, Timorem seu Reverentiam, fiduciam, Obedientiam, patientiam, invocationem mentalem, gratiarum actionem; vel circa Cultum Dei externum, & quidem usum verbi externum, confessionem fidei, iuramentum, celebrationem Sabbati & festorum aliorum.

## §. VIII.

Præiudicia practica circa Cultum Dei internum & quidem in specie circa Agnitionem Dei, huc redeunt:

1. Ideo putant notitiam Dei rerumque divinarum quem oportere habere, quo in conversatione cum eruditis de his rebus disserere possit, & ne plane hospes in illis esse videatur. Hanc vero agnitionem nec practicam nec salutarem esse quilibet facile videt. Conf. 1. Cor. II, 1. 2. 3.

2. putant turpe esse ejusmodi antiquis acquiescere fabulis, & quod antea dictum iterum proferre, sed inquirendum esse,  
ut

*ut aliquid novi inveniri & produci queat. In curiosis autem & ferme nullius momenti quaestionculis Theologicis deinde omnem agnitionem Dei & eruditionem suam esse arbitrantur.*

Quis vero non videt hos homines a simplicitate Christiana recedentes & novitatem affectantes, a vera ac recta via aberrare? Conf. Gal. 1, 8. Tit. 111, 9. Conf. Baj. Theol. Mor. P. III. c. VII. sect. 1. §. II.

3. *Hominem non ita oportere credulum esse, ut omnia accipiat quae proponuntur a Doct̄oribus Ecclesia. Sed posse quemlibet credere & statuere quid velit in articulis quae fundamentum fidei non evertunt.* Verum de iis rebus quae clare in Scriptura S. revelata sunt, non liberum est in utramque partem serio disputare, nec licet facile dubitare aut minimum suspendere suum iudicium: Alias enim ipsam Scripturæ S. auctoritatem & *Ἐκπνευσίαν* in dubium vocare videbitur.

## §. IX.

Præiudicia practica, circa *Timorem Dei* huc redeunt :

1. *Humilitatem coram Deo ostendere ipsorum statui minus convenire, sed eos contemptui exponere & ipsorum honori aliquid detrabere:* Cum tamen sapientissimi Reges maxime sibi gloriæ duxerint servos Dei appellari, & nihil facilius aut solennius Deo sit, quam humiliare superbos. Conf. Dan. V, 31-34. Syr. 111, 10. Luc. I, 51, 52. I. Pet. V, 5.

2. Confer Præiudicia practica circa peccata. §. 5. ex quibus patet ambitiosos Timorem Dei posthabere honori proprio.

## §. X.

Præiudicia practica circa *Fiduciam in Deum*, huc redeunt, quod homines putent :

1. *Semet ipsos jam eiusmodi viribus esse instructos, ut sua saluti prospicere, se conservare ac defendere possint.* Sed conf. Ebr. 1, 3. Act. XVII, 28. Job. X, 12.

2. Quando quid feliciter ipsis succedit, illud prudentia & diligentia sua adscribendum existiment; quod si vero quid infeliciter succedat, tunc omnem extra se spem abjiciunt. Quare vero hi miseri sibi met ipsis omnia adscribunt & confidunt, cum tamen vitam & vires & successum a Deo habeant? Conf. I. Cor. IV, 7. Job. III, 27.

## §. XI.

Præjudicia practica circa Obedientiam huc redeunt:

1. Quod nonnulli putent, se tam decore & circumspēcte vivere, ut nemo ipsorum vitam possit taxare. Quamvis vero quis vitia vitet crassiora, & vitam agat civiliter bonam ac honestam, nondum tamen adhuc se ab Ethnicis moratoribus distinxit, qui idem ductu rationis præstant. Requiritur autem a Christiano, ut actiones æque internas ac externas voluntati divinæ conformare studeat.

2. Alii putant nimis durum jugum esse omnia tam strictè observare quæ Deus præcipit: (Man müste gar zu knechtisch und slavisch sich halten / wo man alles thun wolle / was die Pfaffen haben wollen.) Quis vero non videt hos homines optare, ut omnibus legibus soluti vivere possent. Ac certe non alia causa est, cur de difficultate præceptorum Dei querantur, quam quod indomitum & ferox ingenium suum divinæ voluntati submittere detrectant. Quod si officium suum sponte agerent, præcepta Dei ipsis gravia non forent. At si quem pudet, obedire Deo ipsique servire, illius & Deum pudebit, quando in regnum cælorum recipi desiderabit. Conf. I. Job. V. 3. Prov. I, 24. sqq.

## §. XII.

Præjudicia practica circa patientiam ea sunt:

1. Cum turpe aut abjectum esse quidam putent agrotare, licitum arbitrantur quocumque modo, etiam illicitis mediis adhibitis,

*hibitis, se a morbis liberare.* Sed duplici modo hi Deo advertebantur, dum non solum jugo crucis, quod tamen ceu disciplina salutaris, patienter esset ferendum, se subducere conantur; sed etiam auxilium aliunde quam a Deo quærunt, & sic publice a Deo deficiunt.

2. *Non esse hanc Dei voluntatem ut homines tot adversa, quæ saltem ab hominibus proveniant, patienter ferant.* (Es trümmte sich ja ein Wurm wo man ihn tritt.) Verum sciendum est etiam hanc esse crucem & calamitatem a Deo commissam aut permissam, quando mali homines nos vexant, variisque calumniis proscindunt; ubi & fortitudinem & patientiam nostram demonstrare debemus.

## §. XIII.

*Præjudicia practica circa invocationem Dei mentalem, ea sunt:*

1. *Preces ad Deum ardentem & cum animi subjectione fundere, ipsis despectui esse; potius enim suis meritis nixi, audacter & arroganter Deum invocant.* (Conf. Luc. XVIII. 11.) Sed quis est homo, qui coram creatore suo, a quo omnia gratias habemus, humilis esse nolit? cujus auxilium tamen implorat, & sine quo ipsi pereundum esset. Conf. Sir. X. 9. 10.

2. *Frustra Deum invocari, quippe qui hominem tamen in sua miseria relinquat.* (Gott thue ja doch was er wolle/ und werde uns drum doch nicht geholfen.) Discite vero o impatientes! Deum velle vestram tentare patientiam; videte itaque, ne eandem cum Belsazere audiat vocem, Dan. V. 27. Et quamvis etiam Deus nonnunquam auxilium differat ad certum aliquod tempus, ob causas a nobis non scrutandas, ideo tamen non aufert. Prov. XX. 22. Esa. XXX. 18. sqq. Psalm. XXXIV. 5. sqq.

## §. XIV.

Præjudicia Practica circa Gratiarum actionem huc redeunt:

1. Quod putant ambitiosi, quicquid boni sibi acquisiverunt, illud prudentie, potentie ac propriae ipsorum virtuti esse adscribendum; hinc non opus esse ut Deo gratias agant. Sed cum omnes nostri conatus & labores sine benedictione divina frustranei sint, homines hi nil aliud agunt, quam ut Deum gloria & honore ipsis debito privent. Conf. Luc. V, 5. Prov. X, 22. 1. Cor. III, 6, 7.

2. Hac vel illa beneficia ipsis collata non tanti esse ut ideo gratias Deo referant. Sed audiant hi ingrati Jacobum, Gen. XXXII, 10. Conf. Bajerii Theol. Mor. P. III. C. VII. Sect. X. §. II. not. a) & b).

## §. XV.

Præjudicia practica circa Cultum Dei externum & quidem speciatim, circa usum verbi divini externum huc redeunt:

1. Quod homines putent se jam sufficientem habere notitiam rerum credendarum agendarumque, ut adeo non opus sit in publicis apparere conventibus ibique, in rebus divinis informari. Sed quis est cui nihil deficit? &posito dari aliquem in omnibus rebus plenarie instructum, adsunt tamen adhuc aliæ causæ & rationes quæ hominem movere debent ad sacrorum publicorum frequentationem, quas vide §. 20. num. 4.

2. Dum in curiosis ad salutem non spectantibus questuiculis omnem usum verbi divini consistere arbitrantur, genuinum ejus usum & lectionem salutarem negligunt. Verum etsi sana detur Theologicis curiositas, maxime tamen ad ædificationem, tanquam finem primum Scripturæ S. est respiciendum. Conf. Bajerii Theol. Mor. P. III. C. VIII. Sect. I. §. III. not. c).

3. Non-

3. Nonnulli existimant omnem virtutem verbi divini consistere in sapientia humana, atque hinc eos sermones sacros contemnunt, qui flosculis & argumentis oratoris aut rebus rarioribus & sublimioribus non sunt exornati: Cum tamen per mundanam sapientiam sermonis potius evacuetur crux Christi, quam virtus ejus promoveatur, 1. Cor. 1, 17. Cap. 11, 1. sqq.

## §. XVI.

Præjudicia practica circa confessionem fidei externam huc redeunt:

1. Fidem posse abnegari, aut minimum dissimulari, sine detrimento Christianismi, si quis saltem majores honores possit assequi; Verum qui fidem abnegat, Christum abnegat, qui Christum abnegat, salutem suam renunciavit. Et conf. Matth. X, 32. Luc. IX, 25. Matth. XVI, 26.

2. Wer durch die Welt kommen wolle / müsse den Mantel nach dem Wind hängen / und eine Staats-Religion haben. Cum vero mutatio locorum non mutet statum Christianismi, & ubique locorum sub caelo simus, quilibet facile videt, nec fidem aliam posse induere aut pati faciem. Conf. præter loca citata, Rom. VII, 35, 38, 39.

## §. XVIII.

Præjudicia practica circa Juramentum ea sunt:

1. Ad autoritatem sibi conciliandam putant necesse esse ut strenue jurent. (Dann man hätte sonst keine Autorität wo man nicht fluche: das sey Cavalierisch wo man tapffer fluche.) Sed si autoritas demum per ejurationes acquiritur, certe liarum & calorum autoritatem oportet esse maximam. At vero alias omnis autoritas ex dignitate & præstantia provenire solet.

2. Iram id efficere, ut homines jurent. (Im Zorn fahre es einem so heraus.) Iram vero non excusare testatur Paulus, Eph. IV, 26. & Jacobus Epist. c. I, 19, 20.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Præjudicia practica circa celebrationem Sabbati & aliorum festorum ea sunt :

1. *Singulis diebus posse quem Sabbatum celebrare vel feriari*, (man könne alle Tag Sabbath halten / vor sich lesen und beten ic.) Quamvis vero nullo die exercitium pietatis sic omittendum, præcipuæ tamen septimus vel primis hebdomadæ est sanctificandus.

2. *Man müsse eben nicht immer so in die Kirch lauffen und darinnen hocken*: man wisse ja so schon was man thun soll. Verum quis hic contempus sit verbi divini, quæ spretio congregationis sanctorum, quilibet videt.

## §. XIX.

Præjudicia practica circa officia erga se ipsum, verfantur circa animam, corpus, famam.

## §. XX.

Quod attinet Præjudicia practica circa animam sui ipsius, ea huc redeunt, dum putant :

1. *Nihil ipsis deesse, sed ipsos omnia scire*. Hinc quoque omnibus contradicunt, quia arbitrantur, nihil rectum esse, nisi quod ipsi approbant. (*Sie seyn allein klug.*) Quantum vero ipsis desit, & quam magnam partem veræ scientiæ ignorant, vel ex eo patet, dum se ipsos non norunt. Et quod si saltem hi homines considerarent, ipsis solis non omnem facultatem intelligendi & judicandi conceditam esse, plane aliter judicarent.

2. *Turpe esse profiteri, ipsos hoc vel illud ignorare*. Verum hoc potius turpe esse arbitror, quod malint hi homines manere in ignorantia, quam eam profiteri & informationem accipere.

3. Ideo



3. *Ideo esse discendum, ut sciant, & pro eruditio habeantur.*  
 Hos autem verus eruditionis finis refutat, qui est gloria Dei,  
 ædificatio sui ipsius ac proximi. Conf. 1. Cor. VIII, 1. sqq.

4. *Ipsos jam maximos fecisse progressus in spiritualibus.*  
 Cum tamen primum virtutis fundamentum, humilitatem  
 ignorent.

## §. XXI.

Præjudicia practica circa *Corpus sui ipsius* ea sunt,  
 quod homines existiment :

1. *Ipsos contemptui aliorum hominum exponi, si vestimentis  
 splendidis non sint ornati. Contemni autem ab aliis maxi-  
 mum esse malum* (und man müsse sich nicht in der Kleidung  
 bey andern schimpffen lassen.) Quod si vero saltem suam na-  
 turam ac statum vellent considerare, tunc multo aliter essent  
 judicaturi de suo in vestitu excessu. Alias enim si quis deco-  
 rum observat, & intra limites manet, id nemo ipsi vitio vertet.

2. *Necesse esse, ut quis se distinguat ab aliis, etiam in ve-  
 stitu.* (Dann sonst sey man bey den Leuten nicht angesehen.)  
 Sed conditio, eruditio & virtus nostra jam satis nos ab aliis di-  
 stinguat, nec opus est, ut hoc modo superbiam excusemus.

3. *Es bringen es die Zeiten und Läuſte so mit sich; man  
 müsse sich so aufführen und mitmachen / es sey so Mode ic.)*  
 Etsi vero tempora mutantur, & nos in rebus externis honestis  
 ac licitis aliquatenus temporis nos accommodare debeamus, non  
 tamen necesse, nec licitum quidem esse, in aliis mundo similem  
 fieri, patet ex Rom. XII, 2.

## §. XXII.

Præjudicia practica, circa *famam* huc redeunt :

1. *Vitam & famam pari passu ambulare.* (man könne sich  
 also nicht schimpffen lassen / und müsse das ein schlechter Kerl  
 und Tropff seyn / der sich ins Angesicht schänden und schimpf-  
 fen

fen läffet.) Verum hic varia observanda veniunt. Primo enim homo ipse videat, ne ob vitam male actam fama ejus detrimentum capiat. Quod si vero fama per calumnias hinc inde sparsas laedatur, eas homo generoso animo spernere & pio patienter ferre debet. Denique autem si in faciem quis convitiis proscindatur, modo legitimo famæ læsæ restitutionem impetrare potest.

2. *Eo unice esse elaborandum, ut quis magnum nomen magnosque honores consequatur.* Hi vero, quos vanus honor tantopere vexat, videant, ne tollantur in altum, ut lapsu graviore ruant. Deus enim resistit superbis. Conf. 1. Petr. V, 5. Luc. 1, 51.

§. XXIII.

Præjudicia practica circa officia *erga Alios*, versantur vel in genere circa Proximum, vel circa superiores & inferiores.

§. XXIV.

Præjudicia practica circa officia *erga Proximam* versantur vel summam circa ejus dilectionem, vel speciatim circa animam & corpus.

§. XXV.

Quod attinet ad Præjudicia practica *circa Proximi dilectionem*, ea huc redeunt:

1. *Par pari referre licitum esse* (wiedervergelten sey nicht verboten.) Si hoc intelligas de compensatione beneficiorum acceptorum, facile me habebis consentientem: Verum iis malum minari, qui nobis mali quid intulerunt, non licet. Conf. Matth. V, 44. Rom. XII, 17. 20.

2. *Es krümme sich ja ein Wurm / wenn man ihn tritt.*  
Non

Non vero ut noceat, sed ut se defendat. Et quamvis vermis venenatus nocendi causa se moveret, vermis tamen est; tu vero homo, imo Christianus. Conf. *Rom. XII, 19.*

3. Man hätte es einem zu grob gemacht / aut, ut pro-verbio dici solet, ein Hünlein erretzen. Sed conf. *Rom. XII, 20. 21. Math. VI, 15.*

4. Vergeben wolle man es wohl / aber vergessen könne man es nicht. Quasi vero vera remissio sine oblivione, cui tu repugnans, consistere possit. Hoc non oblivisci certe nihil aliud indicat, quam te saltem ad tempus opportunum vindictam & ultionem dilaturum, id est, prorsus non condonaturum. Quid diceres vero, si Deus ita tecum agere vellet? Conf. *Math. XVII, 21. sqq.*

5. Ipsos hunc vel istum hominem a natura non ferre posse. (Der Kert sey einem von Natur zuwider / man könne ihn nicht leiden.) Quamvis vero hoc certum sit, non omne temperamentum cum altero satis congruere, sed unum ab altero magis minusve dissidere, Christianus tamen inclinationem suam corrigere debet, nec stimulos naturæ depravatæ sequi, multo minus ob dissimilitudinem morum alios odisse, conemnerere aut persequi. Conf. *Rom. XV, 12.*

6. Man müsse sich nicht mit jederman gemein machen / es sey der Mensch nicht darnach / geringes und schlechten Herkommens &c. Sicut autem familiaritatem promiscuam nemo tibi obtrudet, ita vide, ne illius vitandæ prætextu fastidiose contemnas proximum, qui forte melior te est animo, Deoque acceptior. Conf. *1. Cor. IV, 7. Phil. II, 3. seq. Sir. III, 20.*

#### §. XXVI.

Præjudicia practica circa officia erga animam proximi huc redeunt:

1. Quod putant homines, scientiarum arcana, dona animi

acquistita, vel ab aliorum privatissima informatione accepta, quæ sua raritate se commendant, proximo non statim esse communicanda. (Man müsse die Gelehrsamkeit und dergleichen Handgriffe nicht zu gemein machen / sonst würde man endlich selbst nichts mehr gelten.) Sed perpende quæso, in quem usum tibi hæc dona a Deo concessa sint, non ad superbiendum, sed ad demonstrandum divinam bonitatem, ejusque gloriam promovendam, & serviendum tibi atque proximo.

2. Putant hoc non solum licitum, sed & laudabile quid, quando vexando proximi mores corrigere student. (wann sie ihn heben und ziehen / und dadurch diese oder jene Untugend abgewöhnen wollen.) Verum Christus & Apostoli nobis correctionem fraternam in charitate peragendam injungunt, non per sannas & insultationes, quæ vel exacerbare solent animos simplices, vel ad insaniam redigere: ne dicam, quod externam levitatem aut malitiam prodant, qui aliorum infirmitates & nævos, non nisi cum miseratione spectandos, in oblectationis materiam vertit. Conf. Gal. VI, 1.

§. XXVII.

Præjudicia practica circa officia erga corpus proximi præter ea, quæ §. 25 circa dilectionem proximi generatim sunt notata, huc redeunt:

1. Quod existiment, verborum injurias verberibus, verbera sanguine ledentis esse eluenda. (Man müsse sich von niemand touchiren oder coujoniren lassen / sondern sich in advantage setzen und den Schimpff mit Blut abwischen.) Quo ipso non solum involant in jura Deo reservata, cujus vindicta est, Rom. XII, 19. sed & omni studio id agunt, ut adversarios suos malitia & feritate vincant. Conf. autem i. Petr. III, 8. 9. sqq. Rom XII, 21.

2. Melius esse prævenire quam præveniri. (Wann einer zuckt /

zucht / müsse man zuschlagen.) Verum etiam usus mundi perversi hoc ita ferat, Deo tamen istud quam maxime displicet. Conf. *Matth. V, 39. sqq. Rom. XII, 17. sqq.*

## §. XXVIII.

Præjudicia practica circa officia erga Superiores in genere ea sunt:

1. Cavendum esse putant, ne, dum obsequium illis prestare tenentur, auctoritati sua aliquid decedat. (Damit sie ihrem Respect nichts vergeben.) Hoc ipso autem hi homines superbiam suam declarant, nec observant præceptum divinum, omnimode nobis humilitatem injungens erga quemvis, imprimis autem erga superiores. *1. Pet. II, 13. 17.*

2. Man könne sich nicht also despotisch commandiren / knechtisch und sclavisch tractiren lassen. Quilibet autem facile videt, jugum domini supra tales ideo nimis durum illis videri, qui ipsi semper dominium affectant & superiorem ferre nolunt.

## §. XXIX.

Præjudicia practica circa officia erga inferiores eo redeunt:

1. Ipsos omnibus posse ac debere præcipere, omnesque ipsis esse inferiores & subjectos. (Ihnen müsse jederman zu Gebote stehen / und hätte ihnen niemand nichts einzureden.) Sed conf. *Phil. II, 3.*

2. Quisquid ipsorum inferioribus agunt, recte actum esse. (Man müsse sich alles gefallen lassen / was sie thun / und was sie haben wollen / das müsse man wohl thun.) His vero dictum esse puto, quod Apostolus Dominis proponit, ut cogitent, ipsos habere superiorem Dominum in cælis, rationem sine *αἰσχρολογίας* ab illis exacturum, *Eph. VI, 9.*

## SECTIO III.

## §. I.

Quod denique 3) & ultimo attinet ad Præiudicia practica AVARITIAE, propriam utilitatem ubique pro fundamento ac principio habent, respiciemus, secundum ordinem huc usque servatum, non solum ad Præiudicia circa præcepta *Theologiae positivæ*, sed & *Theologiae moralis* occupata.

## §. II.

Præiudicia practica, quæ circa præcepta *Theologiae Positivæ* occupantur, versantur circa doctrinam de Deo, Providentiâ divina, Beatitudine aeterna, Conversione & Regeneratione.

## §. III.

Quod itaque attinet ad Præiudicia practica circa doctrinam de Deo, ea huc redeunt.

1. Deum sibi concipiunt tanquam hominibus parum benignum ac fidum, aut in servandis verbi sui promissis constantem. Nempe hi homines ἀσέγγυοι cum ipsi omni amore & benignitate destituantur, non solum alios homines, sed & ipsum DEVM ex suo ingenio æstimant. Sed conf. Ps. CXXXVI, 1. XXXIII, 5. Prov. VIII, 31. Ps. CIV, 31.

2. Deum esse nimis durum, dum non omnia hujus mundi bona in ipsorum sinum effundit, & ipsis nonnunquam adversa quadam evenire sinit. Sed conf. Deut. XXXII, 4. Apoc. XVI, 7.

## §. IV.

Præiudicia practica circa Providentiâ divinam ea sunt:

1. Putant, se sibi ipsis posse prospicere, illudque ut faciant necessarium esse, (man müsse auch auf das künftige sehen)

100

wo man was hernehmen wolle ; was werden wir essen / was werden wir trincken ic.) Sed conf. *Matth. VI, 27. 31. sqq. e. V, 36.*

2. Es gehe niemand her und versorge einen ; man müsse sich helfen wie man könne. Gott komme nicht und lege einem was in die Schüssel / wann nicht schon vorhero et was darin ist.) Sed quis est ille, o homo, qui vitam & halitum dat per omnia ? qui omnia portat verbo virtutis suæ ? qui germinare facit gramen bestii & herbam in ministerium hominis, ad educendum panem e terra ? *Act. XVII, 25. Ebr. 1, 3. Ps. CIV, 14.* Cur ergo tuo labori adscribis sustentationem tuam, qui non nisi conditio quædam est a Deo posita, ac sine ejus benedictione nihil profectura. *Pf. CXXXVII, 1. 2.*

3. *Non dari providentiam Dei specialem, cum ipse aut non curam habere velit, aut non possit totius multitudinis hominum.* Hoc ipso autem Deus negatur esse Deus, i. e. omnipotens & benignus conservator & gubernator universi, non alio certe fundamento, quam quod homines miselli in causis secundis hærent cogitatione, sibi que nimium tribuant. Sed conf. *Sir. XXXIX, 24. 25. Job. XXVIII, 24. Esa. LIX, 1. sqq. Num. XI, 23. Act. XVII, 28. Matth. VI, 25. sqq. Luc. XII, 6.*

### §. V.

Præjudicia practica circa beatitudinem æternam ea sunt :

1. *Se putant præ ceteris dignos esse, quos Deus beatitudine æterna donet :* (Dann sie hätten kein Kind beleidiget / denen Armen Gutes gethan ; cum tamen sæpius per totum annum pauperibus vix frustum panis dederint, sic beten fleißig.) Verum cum certum sit, ipsorum bona opera reapse nulla vel pauca esse, adhuc certius est illud, Deum æternam beatitudinem nobis non ex merito sed ex gratia conferre. Conf. *Eph. II, 8.*

2. *Curr*

2. *Cum vident esse moriendum, optant quidem cælum, quia metuunt infernum; quod si tamen Deus concederet, mallent DEO cælum relinquere suasque divitias terrestres retinere. Putant itaque majorem voluptatem in his bonis temporalibus inveniri, quam in caelestibus & spiritualibus. Quos tamen ipsa oppositio & plenior consideratio bonorum temporalium & cœlestium refutat.*

## §. VI.

Præjudicia practica circa *Conversionem & Regenerationem* huc redeunt:

1. *Cum ipsi omnes voluptates corporis spernant, putant se piis & regenitis esse annumerandos. Verum qui naturam horum hominum novit, sciet ex quo fundamento hæc abstinentia fluat. Quamvis ergo hæc & ista vitia crassiora vitent, quæ ipsorum temperamento sunt adversa, in aliis tamen eo crassius peccant. Regenitus vero tum interne tum externe aliter se gerit.*

2. *Ipsos equidem pecuniam amare, & œconomice (genau und häußlich) vivere, sed tamen non, ut alii, potando, saltando, ludendo pecuniam inutiliter consumere: adeoque ipsos peccatis non ita esse pollutos. Quamvis vero hoc laudabile sit, prudenter & œconomice res suas disponere, tamen in rei familiaris administratione tam in excessu quam in defectu peccari potest. Es mag nun einer auf die rechte / und der andere auf die lincke Seiten hincfen / so hincfen sie doch alle beede. Medium itaque tenere beati.*

## §. VII.

Quod attinet ad Præjudicia practica circa *præcepta Theologiæ Moralis*, ea spectant ad officia *erga Deum, se ipsum, Alios.*

## §. VIII.



## §. VIII.

Præjudicia practica circa officia *erga Deum*, verfantur vel circa Cultum ejus internum, timorem, amorem, fiduciam, patientiam, gratiarum actionem mentalem; vel circa Cultum externum, nempe usum verbi divini, confessionem fidei, celebrationem Sabbati aliorumque festorum.

## §. IX.

Præjudicia practica *circa Timorem Dei* ea sunt:

1. *Quia Deum hominibus inimicum esse credunt, cum ad superstitionem usque, & cum timore servili colendum esse putant, saltem ut non noceat.* Cum vero falsitatem illius, quod Deus hominibus inimicus sit, supra jam demonstraverimus §. 3. num. 1. cetera sua sponte cadunt. Conf. Rom. VIII, 15.

2. *Cum videant homines, multum saepe efficere posse, & alia quoque agentia inferiora animum ipsorum perculerint, ea magis timenda censent, quam ipsum Deum.* Sed conf. Matth. X, 28. Ps. XXVII, 1. sqq. Rom. VIII, 31.

## §. X.

Præjudicia practica *circa amorem Dei* fere colligi ac dijudicari possunt ex §. 3. quæ autem *circa amorem Christi* verfantur, huc redeunt:

1. *Hunc amandum esse ducunt, quod ab ipso omnis beneficiis, præsertim in temporalibus bonis, sit speranda, quippe qui hanc nobis acquisiverit.* Quo ipso vero patescit, ex impuro fonte amorem, quo Christum prosequuntur, promanare, nec rite esse comparatum.

2. *Deum & Christum saltem ideo esse amandum, ut benefaciant nobis, & quamdiu nos variis beneficiis ditant.* Cum vero hic amor statim in odium adversus Deum mutetur, cum nobis adversi quid accidit, clarum est, hunc affectum, quem ideo

H

fove-

fovemus, ut nobis in mundo bene sit, genuino fundamento de-  
stitui, Deoque minime acceptum esse.

## §. XI.

Præjudicia practica circa fiduciam erga Deum fere  
coincidunt cum Præjudiciis circa Providentiam divi-  
nam §. 4. expressis. Cetera huc redeunt :

1. *Vires naturæ nondum satis esse perspectas & cognitās, multum adhuc in illis latere*, (quo ipso ad artes superstitiosas & magicas animum obfirmant.) Sed quamvis hoc certum sit, non omnes adhuc naturæ vires esse detectas, Deumque variam virtutem herbis aliisque rebus indidisse; vim tamen magicam ipsis adscribere, & talia velle iisdem efficere, quæ omnem naturæ vim excedunt, absolum & impium est. Cumque ipsi fateantur, vires nondum esse cognitās, nescio qui sine superstitione tantam fiduciam in rebus ignotis collocare possint.

2. *Fieri posse, ut ipsi spiritus ipsis sint subjecti, qui iussis ipsorum obtemperent.* Verum secundum Scripturæ S. indicium non dantur spiritus alii quam boni & mali: boni, tamen nobis assistant in actionibus bonis, non tamen nostrum, sed Dei mandatum exequantur; mali vero etsi videantur hominibus aliquando servire, dum se ad illorum voluntatem accommodant, revera tamen ipsorum servi sunt homines, quos tandem secum in aeternum exitium deducunt.

3. Huc denique pertinent *varia superstitionum species, quibus rustici aque ac cives passim vexantur*, dum rebus istis superstitiosis cum summo animæ periculo adhærent: quas Deo volente aliquando peculiari disquisitione examinabimus.

## §. XII.

Præjudicia practica circa Patientiam Christianam ea sunt :

1. *Se solos tot adversis & infortuniis esse expositos, cum aliis*

*alii semper fortuna secunda utantur.* Nempe animus ipsorum inexplibilis & nunquam sua sorte contentus semper invenit quod desideret & queratur, aliorum vero conditionem, utut sæpe deteriorem, invidis oculis spectat.

2. *Quod si morbus eos in lecto detineat, nimium se detrimentum exinde pati ajunt, cum ratione sumptuum, tum laboris, quem differre coguntur.* Hincque summa impatentia ex paupertatis metu torquentur. Nec volunt grato accipere animo castigationem paternam, quæ ipsos a rebus terrenis abstrahit, ut quarant cœlestia, & majorem in Deo collocent fiduciam.

## §. XIII.

Præjudicia practica circa *Gratiarum actionem mentalem* huc redeunt:

1. *Quod putent proprio labore & industria ipsos, omnia ea que possident, acquisivisse, & hinc ne quidem de gratiarum actione cogitent.*

2. *Beneficia a Deo accepta ipsis levia videntur, cum bonum, quod aliis obrigit, semper majus in illorum oculis sit.* Hinc invidia pleni bona proximi intuentes, non operæ pretium esse existimant, ut Deo pro se gratias agant. Sed confer. dicta ad Sect. II. §. 14.

## §. XIV.

Quod attinet Cultum Dei externum, speciatim Præjudicia circa *Usus verbi divini externum*, ea huc redeunt:

1. *Tractationem verbi divini spectare ad ministros Ecclesiæ.* (Die Geistlichen muß man damit umgehen lassen / die das Geld davon haben.) Quasi vero stipendio conducti forent ministri Ecclesiæ, ut sibi tantum discerent verbum Dei, & non potius ut populum eo instruerent & ad ejus meditationem perducerent & excitarent. Conf. *Mal. 11, 7. Joh. V. 39. Jos. 1, 8.*

2. *Lectionem ac meditationem verbi div. impedire negotia domestica.* (Man müsse doch auch auff seine Nahrung bedacht seyn: Dadurch aber würde man zuviel versäumen/ wo man täglich mit Betrachtung und Anhörung des göttl. Worts wolte umgehen.) Verum etsi præcipue diem dominicam tractatione rerum sacrarum sanctificare debeamus; non tamen reliquis diebus cultus Dei plane erit negligendus. Quid ergo impedit, quo minus quotidie modicum temporis spatium, quod alias vel otio vel curis inanibus perire solet, meditationibus sacris dicamus, (cum usus in nos inde redundans multo major sit, quam detrimentum quod in negotiis nostris inde pati putamus; Conf. Ps. CXIX, 50, 93.) vel etiam medios inter labores pias foveamus cogitationes. Conf. Col. III, 16.

## §. XV.

Præjudicia practica, circa *Confessionem fidei externam* huc redeunt:

1. *Cum homines in periculo sunt amittendi fortunas,* (daß sie um Haus und Hof und alle ihre Güter kommen) *eos utique posse vel abnegare vel saltem dissimulare fidem.* (Dann man müsse doch nicht allemal sagen was man glaubet/ und man könne doch im Herzen anderst glauben als man mit dem Munde bekennet.) Sed confer. Matth. X, 37. 38. Luc. XIV, 26. 27. 33. Matth. XIX, 29.

2. *Quod si quis per abnegationem fidei & religionis majores sibi acquirere possit divitias, illud utique, quia utile, etiam licitum esse.* (Dann man könne doch im Herzen ein guter Evangelischer Christ verbleiben/ ob man gleich äußerlich den Pater noster in die Hände nehme und sich so anstelle als ob man eine andere Religion hätte.) Cum vero actus nostri externi de fide & interna conditione cordis testari debeant, quilibet videt, nec abnegationem nec simulationem cum fide vera stare posse. Ceterum confer præjudicia supra sub eodem titulo refutata.

## §. XVI.

## §. XVI.

Præjudicia practica circa *Celebrationem Sabbati aliorumque festorum*, ea sunt:

1. *Ipsorum statum, professionem & negotiorum multitudinem non permittere, ut conciones audire, verbum Dei legere, vel certe totam diem rebus sacris impendere possint.* (Sie müßten zu viel versäumen / ja verarmen / wann sie ihre Geschäfte beyseits setzen / und den ganzen Tag mit heiligen Sachen zubringen wolten.) Neque considerant damnum, quod inde in anima certo sentient, cujus tamen majorem, quam rerum hujus seculi curam habere debemus. Deinde vero nec labor ipsorum, contra voluntatem Dei susceptus, benedictus esse potest. De operibus autem charitatis ac veræ necessitatis nobis non est sermo. Conf. *Matth. VI, 19, 20. Exod. XXXI, 13. sqq.*

2. *Per septimanam ipsis non vacare, ut hoc vel illud negotium suscipiant, nisi die dominica.* Verum ipsa tua conscientia te convincet, negotia tua non ita esse comparata, ut non alio die possint suscipi; Ac certus sum, quod si octavus vel nonus dies celebrari deberet, tunc & illo die negotia tua te suscepturum, quia non coelestia sed terrestria te quærrere probe scio. Conf. *Matth. VI, 20, 21.*

## §. XVII.

Præjudicia practica circa officia *erga Se ipsum*, impingunt in officia *erga Animam, Corpus, bona fortuna & fame.*

## §. XVIII.

Quod attinet Præjudicia practica circa officia *erga animam propriam*, ea sunt:

1. *Nimios requiri sumus, si quis ingenium liberalibus artibus rerumque divinarum scientia excollere, atque ideo scho-*  
lam

*lam diu frequentare velit.* Verum iudicent alii, non qui pecuniam adorant, quodnam damnium majus sit modica carere pecunia pro informatione data, an optimarum rerum ignarum brutoque quam homini similiorem manere.

2. *Nullum aut exiguum esse illarum rerum in vita usum, qua plerumque tractari solent in scholis.* Ast ipsa experientia reclamatur, & exempla tot hominum, qui nimis sero neglectum harum rerum deplorant.

3. *Ejusmodi vita genus eligendum, easque colendas esse artes, unde maximum commodum, & opum augmentum nobis polliceri queamus;* Cum tamen ante omnia ad vocationem divinam internam respicere, neque quærere solummodo nostrum sed & aliorum commodum debeamus. Homo enim non sibi soli, sed & aliis natus est. Deinde etiam tot exempla demonstrant, quod, qui contra ductum divinum, certum vitæ genus elegerunt, maxime fuerint infelices, neque id quod quærebant invenerint.

### §. XIX.

Præiudicia practica circa officia erga Corpus suum huc redeunt:

1. *Si quis vestibus utatur sordidis, parcere sumptibus, & nummos in oculis retinere.* Verum ejusmodi homines in se ipsos sunt injurii, dum non solum decus debitum corpori denegant, sed & ultra se aliorum contentui exponunt.

2. *Nihil referre, etsi quis aliis displiceat sua sorditie.* (Man dürffte ja niemand gefallen.) Verum observationem decori non Dei solum, sed & sanæ rationis jussis fundari certum est. Conf. Phil. IV, 8. 2. Petr. I, 5. sq.

3. *Id a nobis postulari, ut humiles simus, qua humilitas etiam vestitu sese exerere debeat.* Scimus vero, non solum in excessu, dum vestibus superbire volumus, sed & in defectu, quan-

de

do sorditiem magis quam humilitatem amamus, peccari posse. Denique sub veste sordida cor superbum & impium latere potest.

4. *Naturam paucis esse contentam, & hinc tenuem vitum naturæ convenientissimum.* Hoc nimirum prætextu defraudant genium suum & avaritiam colorant, qui in aliorum convivii sunt voracissimi. Sed conf. *Rom. XIII, 14. Col. II, 23.*

## §. XX.

Præjudicia practica circa fortuna bona huc redeunt:

1. *Divitias quovis modo corradere & colligere, permixtum esse, cum deficiente pecunia omnia deficiant, & sine divitiis nemo commode vivere possit.* Nec considerant incommoda, quæ acquisitionem & possessionem divitiarum comitari solent. Conf. *I. Tim. VI, 9. 10. & Matth. VI, 19. sqq.*

2. *Hisce divitiis acquisitis multum boni post mortem illorum effici posse:* (wenn sie ein Gefißt davon machen / nach ihrem Tod.) Verum hac ratione porcis se ipsos assimilant homines, qui cum vivi nullum præstent usum, post mortem demum utiles fiunt. Præterea nec mediis illicitis opes sunt colligendæ, ut benefacere possimus.

3. *Præstare invidiosum esse quam miserabilem:* (besser / Meider haben dann Wittleyder.) Verum etsi hoc in genere de statu hominum felici, qui semper præ infelici exoptatur, valeat, non tamen valet ad excusationem inexplebilis desiderii ditescendi.

4. *Quod si quis saltem divitiis abundet, famam sine damno periclizari posse.* (Bom guten Nahmen könne man weder essen noch leben.) Verum his opponi potest aliud tritum sano sensu acceptum: Vitam & famam pari passu ambulare. Deinde cum mala fama plerumque male facta prodatur, patet non sine periculo conscientie bonam famam periclizari. Conf. *Sir. XXI, 14. 15. 16.*

## §. XXI.

## §. XXI.

Præjudicia practica circa officia erga *Alios*, impingunt in Officia erga *Proximum communia*, erga *Auditores*, *Ministros Ecclesie*, *subditos*, *Magistratus*, *conjugium & conjugem*, *liberos*, *Parentes*, *servos & ancillas*, *Dominos & Dominas*.

## §. XXII.

Quod attinet Præjudicia practica circa officia erga *Proximum*, ea circa ipsius *dilectionem*, qua *animam*, *corpus & fortuna bona* versantur.

## §. XXIII.

Præjudicia practica circa *dilectionem* ea sunt :

1. *Nemini se tuto posse confidere*; ( weil sie sich zu niemand nichts gutes versehen.) Verum etsi non cuivis temere sit fidendum, *charitas* tamen vera credit, sperat, sustinet 1. *Cor. XIII, 7*. Alias enim nec tibi fides erit habenda, & ipsum socialitatis fundamentum evertetur. Conf. *Matth. VII, 12*.

2. *Sufficere ad dilectionem proximi, si saltem illi non damnum infligant*. ( Ihm weder guts oder böses thun.) Amorem vero genuinum multo plura inferre, quam abstinentiam a proximi læsione, ex ipsa ejus natura patescit. Conf. 1. *Joh. III, 15. sqq. Jac. II, 15. 16*.

3. *Se recte agere putant, quando cum iis, qui ipsos injuria affecerunt, vel nunquam, vel non ita facile in gratiam redeunt*. Sed conf. *Matth. VI, 15. XVIII, 23. sqq. Sir. XXVIII, 1. sqq.*

## §. XXIV.

Præjudicia practica circa officia erga *animam proximi*, huc redeunt :

1. *Ad ipsos curam aliorum hominum non spectare*. ( Ein jeder möge auf sich selbst sehen.) Verum etsi ad specialem salutis proximi curam specialis obligatio requiratur, amor tamen  
proxi-



proximi, quem Christus omnibus injungit, nos jubet occasione quavis ad salutem ejus æternam ac temporalem conferre quicquid in viribus nostris positum est. Conf. 1. *Pet. IV*, 8, 10.

2. *Gratis in proximum panitet esse piam:* (umsonst sey der Lob.) Verum quam charitatem hoc prodat, quilibet videt. Interveniunt proximo, non quia illum, sed ipsius pecuniam amant: Hac deficiente deficit illorum amor.

3. *In informatione proximi non ad ipsius utilitatem & instructionem, sed potius ad proprium commodum esse respiciendum.* (Je länger man also die Leute in ihrem Unterricht (cujuslibet professionis) aufhält / je mehr es Geld eintrage.) Qua vero conscientia proximum simul pecunia defraudare poteris, & tempore irreparabili?

## §. XXV.

Præjudicia practica circa officia erga Corpus proximi, eo redeunt:

1. *Cum ipsi suum corpus inedia, frigore, vigiliis & laboribus excrucient, nec alios esse miserandos, qui dura necessitate compulsi hæc mala, sed magno suo incommodo ferunt.* At certe crudelis dementia est, alios quosvis eodem modulo ac pede metiri, & quod tibi stulta lucri spes tolerabile facit, ceteris, qui ista solatia non curant, velle injungere.

2. *Quantumvis proximus inopia, fame, morbo &c. periclitetur, se non teneri ad opem gratis ferendam. Cur enim ipsi id faciant præ aliis? Es seyen der Leute mehr / warum thun es andere nicht / die ihn eben so viel angehen als sie?* Resp. Hoc ipso magis ad te redit juvandi officium, quod alii id non præstant. An vero illorum inhumanitas excusabit tuam? Conf. 1. *Joh. III*, 17.

## §. XXVI.

Præjudicia practica circa Bona fortune proximi ea sunt:

I

I. *Qui-*

1. *Quibuscunque rebus & machinis commoda professio-  
nis, negotiationis aut opificii a collegis & sociis in se derivare,  
iisque ad incitas reductis, suum statum amplificare possint,  
quia leges civiles directo non obstant, se id suo jure facere.  
Unde illud vulgi dicitur: Wer reut der reut; wer leit der  
leit.*

2. *Merces coemptas & opportuno tempore reservatas quan-  
tuncunque pretio vendere licere: (Was es gilt das gelte es.)  
Nec perpendunt voluntatem Dei omnibus declaratam 1. Thess.  
IV, 6. speciatim τὸ ὑπερβαίνειν καὶ ἀλεονεκεῖν serio interdi-  
ctum. Conf. Amos. VIII, 4--7.*

#### §. XXVII.

*Præjudicia practica circa officia ministrorum Eccle-  
siae erga auditores huc redeunt:*

1. *Quod lanam, non salutem ovium querendam esse exi-  
stiment. Etsi vero ministri altaris de altari alimentum & su-  
sistentationem querere possit, 1. Cor. IX, 19. salutem tamen æter-  
nam, non bona terrestria auditorum querere debet. Conf. Phil.  
IV, 17. 1. Tim. III, 3. Act. XX, 28. Es. LVI, 11.*

2. *Pecuniosis & largis, non vero pauperibus, unde nihil  
sperandum, prompte succurrendum esse. Sed quis nescit ani-  
mas pauperum æque, si non magis, pretiosas esse in oculis Dei  
ac divitum Jac. II, 5. utrasque autem pastori ita esse commis-  
sas, ut ejus anima sit pro anima illorum. Cumque coram  
Deo non sit respectus personarum, & gratia illius tamen ad divi-  
tes quam pauperes spectet, ejus quoque ministri, quippe di-  
spensatores mysteriorum divinarum, ita debent esse comparati.*

#### §. XXVIII.

*Præjudicia practica circa officia auditorum erga mi-  
nistros Ecclesiae ea sunt:*

1. Pa-

1. Pastores stipendia accipere a magistratu, ideo non opus esse, ut ipsis aliquid de suo præbeant. Sed qui novit exilia ple-  
rorumque ministrorum stipendia, quodque illis auditorum li-  
beralitas pro majore salarii parte assignari soleat, facile intelli-  
get, si præjudicium istud invalescat, multis fame pereundum  
fore.

2. Non esse finem oblationum ad Pastores (man müsse nur  
immer geben / was sie thun / da sey überall nichts als schen-  
cken.) Atque hinc eos sapius die Geibigen appellant pro Geist-  
lichen. Sed cum prudens Ecclesiæ minister nihil exigat, nisi  
quod salarii vel sportularum nomine ipsi a magistratu populo-  
que est destinatum, reliqua in voluntate auditorum posita esse  
velit, non est cur queraris, qui nihil Pastori tuo das, quod non  
vel pleno jure debeas, vel sponte velis.

3. Si quid ultra strictum debitum ministris largirentur,  
verendum fore, ne jure illud postea velint exigere. (Sie  
mögten ein Recht oder Berechtigung daraus machen.) Alii  
vero potius verentur, ne sub vano isto metu & prætextu ava-  
ritia tua ingratusque animus undique pelluceat. Conf. Gal.  
1, 7. sqq.

## §. XXIX.

Præjudicia practica circa officia Magistratus erga  
subditos huc redeunt :

1. Omnia subditorum bona in ipsorum esse potestate, unde  
quantum & quandocunque velint, possint exigere. Divino  
autem & naturali jure non plus debetur magistratui de divi-  
um bonis, quam quod ad conservandam rempublicam tuen-  
damque regiminis dignitatem sufficiat. Ad salutem enim pu-  
blicam omne magistratus officium per se tendit. 1. Tim 11, 2.

1. Subditos per divitias tantum reddi insolentiores, ideo-  
que has illis impositis oneribus extorquendas esse, quousque ha-

beant quod in tributa conferre possunt. (So lang einer noch ein ganz Kleid am Leib und Eisen am seinen Wagen hat: Und sey keinem Bauer zu trauen / ob er sich noch so arm stellet. Dann der beste Bauer sey ein Schelm.) Sed hæc tyrannorum axiomata sunt, non magistratus Christiani, qui bonis legibus magis & salubri institutione corrigere studet subditorum vitia, quam exactionibus rigidis, quæ homines denique reddunt desperatos. Adhæc, si pacato rerum statu exhauriantur subditi, quid poterunt necessitatis tempore ad communes usus conferre?

## §. XXX.

Præjudicia practica circa officia subditorum erga Magistratus huc redeunt:

1. Magistratum nimia postulare a subditis, cum illis subinde nova imponit onera. Neque simul consideras sumtus & expensas in rem publicam subinde conferendas. De reliquo conf. Rom. XIII, 6, 7. Matth. XXII, 21.

2. Etsi quis leges magistratus clam (publice enim impune non licet) transgrediatur, eumque tributorum pensione defraudet, non peccare in conscientiam; esse enim has leges tantum instituta humana. Verum cum pro magistratu stet præsumptio, non alias eum, nisi quæ ad salutem publicam spectent, leges laturum, & ipsi hæc potestas a Deo data sit; tibi certe non licet temere magistratus leges transgredi. Conf. Rom. XIII, 1. sqq.

## §. XXXI.

Præjudicia practica circa Conjugium & officia Conjugum ea sunt:

1. In electione personæ in matrimonium ducendæ, potissimum ad divitias illius respiciendum esse. Cum vero viris cum uxore, non cum pecunia sit vivendum, iis equidem suaserim

serim, ut primario respicere veliat ad divitias animæ & morum suavitatem, qui soli perennes sunt thesauri; ne cadat in ipsos eritum illud proverbium: *Das Geld gibt man aus / der Narr bleibt im Haus.* Conf. etiam Syracidem prudentem œconomum c. XXV, 28, 29. c. XXVI, 1. sqq.

2. *Pulchritudinem non facere ad saturitatem stomachi* (von einer schönen Schüssel könne man nichts essen / wann nichts darinnen.) Neque hoc dixerim, semper ad pulchritudinem esse respiciendum, quæ cito perit, (eine einige Kranckheit macht häßlich und alt.) Quin potius pulchrum animum, pietate & prudentia ornatum intueri iuvabit. Ceterum cave, ne pecuniæ amore conjugem ducas, quam postea sine fastidio adspicere nequeas, & serio stultitiam admittam deploras.

3. *Ducendam esse conjugem parum sæcundam, vel certe conjugium ita gerendum, ne proles numerosa progignatur;* quippe cujus educatio ac dotatio multum opere & sumtus expositat. Nec perpendunt procreationem sobolis primarium finem matrimonii, Gen. 1, 28. Cap. XXXVIII, 9. 10. & liberos donum Dei esse. Conf. Ps. CXXVII, 3. Deinde confer etiam ob finem alium secundarium 1. Cor. VII, 1. sqq.

4. *Oeconomice esse videndum, nec tanto sumtu ciborum & vestimentorum apparatu:* Naturam enim paucis esse contentam. (Wanns auch nur ein paar Eyer oder eine Wasser-Suppe ist.) His vero oppono illud, quod venter careat auribus, & conjux non venerit in domum tuam, ut tecum esuriat, sed ut nutriatur ac foveatur; Eph. V, 29.

§. XXXII.

*Præjudicia practica circa officia Parentum erga liberos huc redeunt:*

1. *Ipsos non ita abundare pecuniis, ut tantos liberorum*

*causa facere possint sanctus, & quidem in rebus superficialibus, ut putant: e.g. pariter legendi, scribendi, rationes supputandi. Verum cum notum sit quantilli sumtus hic requirantur, quodque utilitas, inde tum in ipsos liberos tum in alios redundans, summam pecuniæ longe superet, querelas istas injustas & culpabiles esse quilibet videt. Conf. 1. Tim. V, 8.*

2. *Negotia ipsorum hoc non permittere, ut liberi sui alio rebus operam dare, scholas, conciones & catechisationes frequentare possint. Sed perpende, quæso, quid ageres, si careres liberis: deinde tanquam parens respice ad salutem liberorum tam temporalem quam æternam, & plane mutabis sententiam. Conf. Eph. VI, 4.*

3. *Olim non fuisse sic, nec tantum ab ipsis fuisse requisitum, quantum nunc a liberis postuletur. Verum non istud considerandum, quod olim factum, sed quod fieri debuisset. Deinde & hoc certum est, quod alia tempora alios mores postulent, cum scientia subinde crescat, & lux Domini clarior fiat. Utendum igitur est occasione proficiendi in bono, dum illa affulget.*

4. *Ipsos forte aliis multo inferiores, ideo nec opus esse, ut liberi sui ejusmodi rebus instruantur, quæ non presentem præstent usum. Verum in hujusmodi rebus non fors hominum, sed communis & privata utilitas spectanda venit. Et nescio, cum ubique hi homines commodum suum quærant, quare hic in rebus tam utilibus procurandis cœci sint ac negligentes. Etsi enim ad addiscendum artes honas modica pecunia requiratur, nullibi tamen eam majori fœnore locare possent. Clarum vero est, hos parentes ne quidem liberorum utilitatem curæ habere, sed pecuniam suam, quam nesciunt opportuno tempore dispensare.*

5. *Nota*

§. Non utile esse, adeoque nec concedendum, ut filia alii nubat, filius aliam ducat quam divitem. Sed confi §. 31, & cogita, non parentes, sed liberos ducere conjugem, cum quo illis erit vivendum; nec omnem felicitatem pendere a nostra pecunia, sed a providentia & benedictione divina.

6. Ipsos esse parentes, & pro lubitu differre matrimonium atque sic etiam dotem diutius retinere posse. Verum cum justa adsit ætas, & occasio honesti pro liberis matrimonii, non sine injuria & periculo castitatis aliarumque tentationum differatur. Conf. 1. Cor. VII, 9. 36.

## §. XXXIII.

Præjudicia practica circa officia liberorum erga parentes huc redeunt:

1. Quamvis parentibus quedam liberi subducant & clam auferant, id non esse peccatum nec vitium. Verum cum omnis ablatio rei alienæ incito & invito Domino sit furti species in VII. præcepto prohibita, & liberi parentibus speciali fidelitatis & obsequii vinculo obstricti teneantur, non video, qui istud facinus a gravi culpa liberari queat; tametsi in foro humano, ob rationes politicas, non perinde ut alia furta, vindicari soleat.

2. Sed bona parentum esse etiam bona liberorum; sive itaque parentes sive liberi possideant, perinde esse. Nego autem hoc, quod liberis in bona parentum, his viventibus, plenum jus competat. Nam præter educationem & sustentationem, quoad sunt in domo parentum, nihil ab his jure possunt exigere.

## §. XXXIV.

Præjudicia practica circa officia Dominorum & Dominarum erga servos & ancillas ea sunt:

1. Cum servi & ancilla victum ac mercedem accipiant,

maxi-

*maximos & fere intolerabiles labores ipsis posse imponi.* (Dann sie müſſen ihr Geld wieder abverdienen.) Neque cogitant, quod & servi ac ancillæ homines ſint, cum quibus ex æquitate naturali eſt agendum, quodque ipſi Dominum habeant ſuperiorem. Conf. 1. Tim. V, 8.

2. *Cum ſaltem ſervilis conditionis homines ſint, poſſe ieiunii victu contentos eſſe, aut interdum jejunare.* Verum ſtatus ipſorum ſervilis conditionem ſtomachi corporisque non tollit, quin imo propter duros labores largior illis victus debetur. Conf. 1. Tim. V, 8.

3. *Famulos egrotantes, cum ſuo miniſterio fungi non poſſint & curatio morbi ſumtus expoſcat, recte ex ædibus extrudi.* Sed quam impium ſit, eos ſtatim extrudere, qui ſanitatem in noſtro ſervitio & negotiis amiſerunt, quilibet ſanæ mentis iudicet. Deinde conf. Matth. VII, 5. ſqq.

4. *Quod ſi occaſionem invenire vel cauſam fingere poſſint, quare ſervis aut ancillis mercedem detineant, vel aliquid detrahant, id equidem licitum eſſe putant.* Sed haud immerito inter peccata clamantia referretur merces denegata a Jacobo c. V, A. cum tanto labore ac ſudore illam acquiſiverint.

### §. XXXV.

Præiudicia practica circa officia ſervorum & ancillarum erga Dominos ac Dominas huc redeunt:

1. *Eſt aliquid clam Domino ſubducant, non multum referre, modo ipſe damnum non admodum ſentiat.* (Wann ſie gleich heimlich abtragen.) Verum, ceu diximus, omne id, quod invito ac inſcio Domino auferretur, furto ablatum cenſetur, quicquid ſit de damno exinde percepto.

2. *Illud putant ſufficere, ſi coram Domino diligenter laborent, eo abſente vero orientur.* Sed conf. Eph. VI, 5. ſqq.

CAPVT



## CAPVT III.

*De Præiudiciorum Practicorum noxa.*

## §. I.

**N**eminem facile fugit, quod incrementum ac studium veræ pietatis variis modis impediri possit ac soleat; nimia scilicet terrenarum rerum cura, cœlestium bonorum ignorantia & neglectu, securitate carnali, pravis mundanorum hominum exemplis & scandalis, vanis denique carnis nostræ effugiis & excusationibus, ut taceam reliqua. Minime tamen erra-vero, si ista omnia a præiudiciis practicis, non quidem primam operanem, sed tamen sustentaculum aliquod & liberio-rem operandi facultatem trahere affirmem. Nempe hæc homines in voluptatum, honorum, divitiarum insano studio obfirmant, conscientie dictamen & stimulos obtundunt, conformationem cum mundo innuunt & exulant. Ipsa vero veteris Adami axiomata & effugia maxima sui parte in præiudiciis practicis consistunt; id quod quilibet deprehendet, qui Capite præced. ad-ducta penitus considerabit. Inde autem simul patescit, per præiudicia practica multos Christianæ fidei articulos perverti, verum Dei cultum, amorem proximi & ipsius hominis emendationem salutemque detrimentum capere.

## §. II.

Namque, ut clarius paulo eorum vim noxiam exponamus, 1.) ubi semel huiusmodi præconceptis opinionibus occupatus est animus, quæ intellectui pro norma & regula sunt, nullum de rebus agendis aut fugiendis sanum iudicium, nulla intrinsecæ bonitatis aut malitiæ vera inquisitio aut æstimatio locum invenit, sed intellectus in rerum cum præiudiciis suis congruentia secure acquiescit. Sic vero 2.) ipsa principiorum practicorum innata quam hominibus notitia sensim opprimitur,

K

vel

vel certe ita tenetur captiva iniustitia, ut in dirigendis actionibus nullam exerere vim possint, & hinc conscientia passim aut in ipsis principiis, aut minimum in eorum ad actiones applicatione erret, errore quidem facile vincibili, sed suavi, ac ideo profundis animo insidente. Inde 3.) male acta non rite agnoscentur, multo minus retractantur, aut per seriam poenitentiam abolentur, sed approbantur potius & praediciis, tanquam armis defenduntur. Quare 4.) si quis ejusmodi homines rectius informare, delictorum ac vitiorum convincere & ad ea deserenda exhortari velit, mox illi praedicia sua velut in acie collocant, omni eorum ope repugnant, & conquistis undique ratiunculis sua vitia vel excusant, vel defendunt, certe si rationibus ea satis tueri non valeant, animum ad illa retinenda obfirmant. Quinimo 5.) ipsum Dei verbum, praecipuum nostrae conversionis medium, quatenus illud praediciis practicis contradicit, vel omnino repudiare, vel varia limitatione falsaque interpretatione ad opinionem suam detorquent, dicta ejus perperam intellecta aliis clarioribus opponunt, atque ita vim illius salvificam a corde suo repellunt. Hinc denique 6.) fit, ut cum falsos de Deo rebusque divinis & officiis sibi incumbensibus foveant conceptus, sensim a Deo ejusque vero cultu magis abducantur, actus boni Spiritus in mente impediuntur, contra vero peccandi habitus invalescat, ut securi ac sine ullo horrore aut conscientiae, per praedicia consopitae, motu delinquant; quo pacto demum ad vitam sceleratissimam, Atheismum aut Epicureismum deducuntur.

## §. III.

Speciatim quod attinet ad praedicia *Voluptatis*, exinde non potest non sequi, ut homines iisdem imbuti 1.) omne felicitatis momentum in voluptate corporis ponant, omnesque curas ac studia in eam obtinendam fovendamque conferant; ut

2.) ani-

2.) animæ & pericula curam salutemque negligant, quippe quæ continentiam, vigilantiam, laborum patientiam exposcunt: 3.) in cunctis officii sui partibus segnes sint, easque commoditati corporis posthabeant, nihil in gratiam proximi suscipientes, quod labore & molestia constet: ut 4.) bona cœlestia, acquiescentiam animæ in Deo & gaudium S. Spiritus vel omnino spernant, vel saltem non prius expetant, quam corpus mundi deliciis fatigatum sit & confectum.

## §. IV.

*Ambitionis* præjudicia efficiunt, ut 1.) homo de rebus divinis temeraria ferat iudicia, religionemque ad captum & gustum suum effingat: 2.) ut donis a Deo concessis, tanquam suis, superbiat, & quicquid per ea laudabile gesserit, sibi soli, turpissimo sacrilegio & ingrati animi crimine, vindicet: 3.) ut ea tantum agenda suscipiat, quæ maxime putat esse gloriosa, neglectis utilioribus magisque necessariis, quæ minorem pariant famam; unde sæpius ab ἐργῶν ad πᾶρεργῶν dilabitur: 4.) ut ad genium seculi mundique vanitatem mores ac studia sua, pietatem ipsam & religionem accommodet: 5.) ut mansuetum ac humilem Christi spiritum, omnibus Christianis commendatum, contemptui & ludibrio ducat: 6.) ut vindictam Deo reservatam temerario ausu usurpet: 7.) ut superioribus refractarium, æqualibus invidum & iniquum, inferioribus durum & imperiosum se præbeat, &c.

## §. V.

*Avaritiæ* præjudicia 1.) fiduciam divinæ bonitatis, veracitatis ac providentiæ tollunt: 2.) superstitionem & metum fervilem animo, pro religione, insinuant: 3.) illum in curas rerum terrenarum, neglectis cœlestibus, penitus immergunt: 4.) eundem ad omnem injustiam, fraudulentiam & immiseri cordiam obstinatum reddunt. Et quis omnes fructus e radice omnis mali pullulantes enumerabit?

## CAPVT IV.

*De Præiudiciorum practïcorum remediis.*

## §. I.

**Q**um constante Medicorum consensu, initium curatio-  
 nis sit nosse morbum, præiudiciorum quoque *agnitio*  
 primo omnium quærenda erit illis, qui hac animi pe-  
 ste liberari debent. Idque ut rite fiat, 1.) in genere agnoscen-  
 da est profunda naturæ hominis corruptio, qua non solum in-  
 clinatio voluntatis, a Deo & omni vero bono averfa, ad falsã  
 & imaginaria propendet, sed intellectus quoque in rebus spiri-  
 tualibus cœcus, ad errores & prava iudicia pronus est, præ-  
 fertim cum impetus cupiditatis eum in transversum agit. Tunc  
 enim, cum voluntas vel per se, vel ab appetitu sensitivo mo-  
 ta, in objectum aliquod suæ inclinationi naturali congruum  
 fertur, mox intellectus undecunque ratiunculas quærit, qui-  
 bus illa carnis desideria vel defendat, vel excuset, adeo quidem,  
 ut ipsa rectæ rationis principia divinæque revelationis præcepta,  
 desiderii istis adversa, impugnet, aut dominatrici cupiditati suæ  
 conciliare studeat. 2.) observandum, quod in illis etiam, qui vel  
 morali disciplina, vel per ipsam regenerationis gratiam, ad emen-  
 dandam naturæ pravitatem tendunt, eadem veteris Adami in-  
 doles saltem subtilius & per cuniculos se exferere soleat, ita  
 quidem, ut intellectus corruptus vitia sub specie virtutum, res  
 tam præceptas, quam vetitas, sub titulo adiaphorarum aut  
 mediarum homini ipsi venditare conetur, certe variis excusa-  
 tionibus & effugiis dictamini boni Spiritus se subducat. Unde  
 3.) sequitur, nec propensioni nostræ voluntatis ad res munda-  
 nas, nec iudicio intellectus ad eam se accommodanti tuto esse  
 fidendum, sed utrumque potius quam maxime suspectum habend-  
 dum; quandoquidem 4.) eiusmodi præiudicia non alium præstant  
 usum, quam ut nos ipsos decipiant, conscientiam aliquantisper  
 assopiant, & verbi divini, rectora docentis, virtutem repellant.

Deus

Deus vero nostrarum actionum iudex omniscius & iustissimus non perinde, ut nos stulti mortales, tali glaucomate falli potest.

## §. II.

Dehinc spectatim in seipsum descendat homo, suasque cum inclinationes naturales, tum ratiocinationes consuetas de rebus agendis exploret, & quomodo hæc illis inserviant, expendat; quo ipso, si candide secum agere velit, facile deprehendet, quænam præjudicia occupatum adhuc tenuerint animum, quoque illa nec certa firmaque ratione consistant, nec sine formidine oppositi defendi aut sustineri queant; quod denique ut plurimum non penitus approbent facta nostra, sed qualitercunque saltem extenuent culpamque minuere conentur.

## §. III.

Cum vero in rebus tanti momenti, ex quibus sempiterna seu miseria seu felicitas pendet, nemo nisi desperate stolidus ac temerarius fundamento tam lubrico & ad fallendum unice composito niti possit, firmiter statuendum est homini, damna-  
tis quibusvis præjudiciis agnitis certio-rem sequi vitæ regulam, quam infallibile Dei verbum, salutis nostræ causa datum, sup-  
editat. Ad hoc legendum ac meditando se conferat mente do-  
ctrinæ cupida & ad omne obsequium parata: ejus præceptis, mo-  
nitis, minis ac promissionibus muniat se adversus præjudiciorum  
& cupiditatum insultus, atque ea imprimis dicta gravia animo  
infigat, quæ suæ inclinationi dominatrici, & præconcep-  
tionibus quam maxime sunt opposita, ut quoties illæ insurgunt,  
statim in promptu habeat gladium Spiritus, quo monstra ista do-  
met ac jugulet. Nihil agendum suscipiat inconsiderate, & quæ de  
die peregit singula sub noctem diligenti examine retractet, at-  
tentus ad omnes circumstantias, factorum occasiones, fines, &  
occulta cordis sui consilia; inter quæ si quem præjudicii foetum  
inveniat, nunquam sine serâ detestatione eum dimittat, nun-  
quam sine novo proposito talia in posterum cavendi discadat.

Inter hæc assiduis precibus divinum imploret auxilium, quod humanæ infirmitati succurat, bonum propositum firmet, carnis insidias detegat & avertat, animum vera agnitione Dei, sui ipsius & mundi imbuat, terrenarum rerum studium amoremque extinguat, fidem ex adverbo vivam ac desiderium summi æternique boni accendat.

## §. IV.

Seorsim qui *Voluptatum* præjudiciis vexantur, illarum inconstantiam, tædia ex immoderato earum usu & satietate nascens, damna denique, quæ exinde in animam, corpus, famam & fortunas redundant, sedulo meditentur. Qui ex *Ambitione* laborant, honoris ac dominationis inanem splendorem, difficultatem, inquietudinem, invidiam ejus individuum comitem, æmulorum & oppressorum odia, contentiones & contrarias machinationes, tristem denique in imaginaria potentia servitutem considerent. Quos *Avaritia* præjudicia trahunt, divitiarum acquirendarum molestias, conservandarum anxiam curam, nullum penes avarum hominem usum, præterquam stultam possessionis opinionem, injustitiam cum scelerata habendi cupiditate conjunctam, denique commune aliorum hominum, cui ipse expositus est, ludibrium spectent: quam in rem sacræ literæ, Theologorum scripta moralia, extantia passim exempla, imo quotidiana hominis attendentis experientia, copiosam argumentorum segetem præbebunt. Non dubium est, quin hæc omnia rite adhibita præjudiciorum nebulas paulatim sint discussura.

## §. V.

Tecum autem B. L. hæc collectanea & rudi Minerva consignatas meditationes ideo saltem communico, ut occasionem habeas eadem uberius & doctiore cogitatione perficiendi, locupletandi & exequendi. Nunquam enim animum induxi ut crederem, me vel omnia præjudicia practica hac opella recensuisse, vel recensita doctè satis & accurate confutasse.

Optimum mihi laboris præmium retulisse putabo, si piis & æquis reorum arbitris non omnino inutilis ille videbitur.

S. D. G.

60  
80  
60  
40  
10  
200

04 A 65 16

ULB Halle 3  
002 933 25X




f  
56

Hi. 89.









2

DISQVISITIO THEOLOGICA  
DE  
PRAEIVDICIIS PRACTICIS  
CHRISTIANISMO NOXIIS

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
DN. IOHANNIS GVILIELMI BAIERI  
SS. THEOL. D. ET P. P.  
PATRONI SVMMO HONORIS CVLTV  
PROSEQVENDI

DEFENDET  
AVTOR RESPONSVRVS  
IOHANNES MICHAEL Ludwig  
HENFENFELDA - NORICVS  
SS. THEOL. STVD.  
D. IAN. MDCCXVII.

---

ALTDORFI NORIC.  
RECUSA A IOD. GVIL. KOHLESIO ACAD. TYPOGR.  
A. C. 1729.

